

DISSERTATIONEM INAUGURALEM JURIDICAM,  
SISTENTEM

JVS DEVOLVTIONIS  
IN BRABANTIA VSITATVM,  
IN JVRE CIVILI RADICATVM,

vulgò

Das Abwalbungs-Recht/

MAGNIFICO RECTORE VNIVERSITATIS  
AC PRO-CANCELLARIO,

REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVVS, J. V. D.

DENOMINATO CONFIRMATO ET PROXIME CONSECRANDO SVFFRAGANEO  
ERFORDIENSI ET EPISCOPO ANEMORIENSI, INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV.  
CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MO-  
GVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE PER THVRING.  
IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

EX CONSENSV ILLVSTRIS FACTORVM ORDINIS,  
SVB PRÆSIDIO OMNIPOTENTIS

PRO SVMMIS

INTROQVE JVRE HONORIBVS RITE CAPESSENDIS

H. L. Q. C.

DIE III. JUNII A. O. R. MDCC XXVI.

PUBLICÆ ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR

JOANNES HENRICVS Meier/  
Erfurth.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

II Hist. Belg.

B.

520, 14





*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIONIS INAUGVRALIS  
CAPVT PROOEMIALE.



Ogitanti deliberantique mihi quale specimen Inaugurale eruditorum subijciam examini difficilis admodum optio fuit; vagatus enim per amplissimos Juris materiarum campos, unam utilitatem alteram jucunditatem commendare, invenit, ideoque diu hæsitavi. Incidit tandem in rariorem illam JURIS DEVOLVTIONIS IN BRABANTIA VSITATI RADICATI IN JURE CIVILI, quippe cujus occasione magnum illud & luctuosum bellum Galliaë inter & Hispaniaë Regem, Ludovicum M. & Philippum IV. exarsit, quod & potissimum mihi legenti historiam ansam de illo jure differendi præbuit, eo magis cum dictum jus in nostro Jure Civili fundatum nec ab eo plane alienum esse reperi. Ea propter ab illis me facile veniam impetraturum spero, qui forte melius me fecisse putant, si materiam potius ex Jure Patrio vel Civilo tractandam ag-

A 2 gres-

fus essem. Tantum enim abest ut extera jura penetra-  
 re culpabile, ut potius, positis fundamentis in Jure Ci-  
 vili, laudabile sit, præprimis cum rumores tale jus  
 per totum fere terrarum orbem spargant, dubiamque  
 atque intellectu difficilem reddant historiam. Tibi  
 igitur B. L. theses has Inaugurales, ea qua decet obser-  
 vantia, offerro, & si forte in uno atque altero me er-  
 rasse deprehendis, ignoscas atque imbecillitati huma-  
 næ, (homo enim sum & nihil humani à me alienum  
 puto) imputes velim. TE autem Deum Ter Opt. max.  
 supplex rogo, velis cœptis meis annuere tuaque gratia  
 mihi adfistere quam clementissime.

CAP. I.  
 TRACTANTIS GENERALIORA  
 VSVSFRVCTVS.

§. I.

Merito quæ-  
 dam generalia  
 de usufr. præ-  
 mittuntur.

**D**Emonstraturus, Divino favente Numine, Jus De-  
 volutionis in Brabantia usitatum, radicatum in Jure  
 Civili; operæ pretium me facturum autumo, si  
 priusquam materiam juris Devolutionis ipsam sub incu-  
 dem revocem, nonnulla quædam generalia de Usufructu,  
 utpote in quo consistit memoratum jus, præmiserim;  
 præsertim cum circa Etymologiam vocum nihil notatū  
 dignum occurrat. Homonymia vero ab addito verbo in  
 Brabantia usitatum excludatur; ita ut illud Jus Devolu-  
 tionis Ecclesiasticum, (quod est translatio potestatis, quæ  
 datur in beneficia ab aliquo in alteram personam ex fa-  
 cto vel negligentia, potestatem habentis. THOLOSAN.  
*Syntagm. jur. div. L. 17. c. 9. n. 2.*) ab hoc toto differat cœlo,  
 uti etiam clarius patebit tam ex definitione & natura  
istius

istius juris postea indaganda; me certe non præterit re-  
manere aliquam in voce juris, quod varie in jure sumi-  
tur *l. ii. ff. de J. J.* sed quis non videt, hic nomen juris  
nihil aliud significare, quam sanctionem vel legem ipsam  
in Brabantia latam, quatenus autem pro attributo per-  
sonæ sumitur, primario huc non spectare, quæ distinctio  
GROTHI *l. i. c. i.* varias significationes æquivoci istius no-  
minis juris sub se comprehendit, uti eleganter deducit  
HUBER. *in Præl. ad tit. ff. de J. & J. n. 10.*

§. II.

Vis & Effectus Dominiis is quidem est, ut cuilibet de  
re sua libere disponere liceat, quod & confirmat defini-  
tio ejus, quam ab effectu sic tradunt Doctores: quod ni-  
mirum sit jus de re corporali pro arbitrio disponendi,  
eamque vindicandi; ista autem facultas cum distinctione  
dominiorum non tam absoluta & sic interpretanda est,  
ac si omnem omnino communionem cessare faciat, acci-  
dit inde ut alteri quoddam jus, vel ex solo animi affectu,  
vel etiam ex necessitate, commoditatis vel utilitatis gratia  
concedere soleamus atque debeamus *PVFEND. L. 4. c. 8. §. 1.*  
Præcipua autem jura, quæ nobis competunt in re aliena,  
sunt jus Emphyteuticum, superficiarium, bonæ fidei pos-  
sessoris & servitus *PVFENDORFF. d. l. n. 2. & aliquot seqq.*  
Quod tres priores attinet species, istæ hujus loci non sunt;  
ideoque & illas intactas relinquens, me confero ad ulti-  
mam, quæ proprius accedit meo proposito.

Dominium  
non tollit  
omnem com-  
munionem.

§. III.

Ab eo, cui debetur, servitutem sic definire licet, quod  
fit jus in re aliena corporali, quo illa alteri utilitatem  
quandam debet ac præstat, ita ut dominus in eo aliquid  
pati vel non facere cogantur; *arg. L. 15. ff. de servit.* Intuitu  
vero ejus, qui debet, sunt obligationes alteri emolumen-  
tum concedendi, aut in alterius commodum a certo usu  
rei suæ abstinendi *PVFEND. d. l. §. 6.* Rectissime abstinendi  
vel concedendi &c. cum expediti sit juris, nullam servi-  
tutem in faciendo consistere *d. l. 15. §. 1.* Unica excepta,

Definitio ser-  
vitutum & Di-  
stinctio.

nimirum oneris ferendi; quamvis & circa hanc dissensus fuerit inter Jctos ut videre licet in *L. 6. §. 2. ff. si serv. vind.* Immo Huberus contendit hoc potius ex pacto esse, quam natura servitutis in *Præl. ad tit. ff. de serv. n. 11.* Ita definita servitus distinguitur in personalem & realem, cui ultimæ nomen generis simpliciter in jure nostro tribuitur *t. t. ff. de Serv.* Servitus autem realis est, cum prædium alienum vicino prædio servit. *L. 10. ff. commun. præd.* Illa personalis, ideo sic dicta, quia cum persona extinguitur *L. 3. §. fin. quemad. usufr. amitt. L. 16. C. de usufr. debetur a prædio alieno personæ L. 1. ff. de servitut.* Tales tres vulgo enumerantur: *Ususfructus, Usus, & Habitatio*, ultimam pro servitute personali non agnoscimus contra *D. D. communiter.* De prima autem mihi agendum misso usu junctis servitutibus realibus, à scopo nimirum plane alienis.

§. IV.

*Ususfructum in servis etiam constitui posse tradit Imp. §. 4. Inst. per quas pers. nob. acq. quod & verissimum, quamvis obstare videatur l. 4. ff. de oper. serv. ubi dicitur: Operas servorum hominis esse fructus; & retro fructus hominis consistere in operis, quas vero non ususfructum esse docet l. 1. §. 9. ad L. Falcid.* Sed illa obstantia claudicante admodum nititur consequentia, quia nullo modo sequitur fructus hominis sunt operæ: Ergo operæ servorum sunt *Ususfructus*: non majorem enim veritatis speciem illud argumentum præ se fert, quam si ita argumenter: *Ususfructus consistit in fructibus; Ergo fructus sunt ususfructus*, quod tamen nemo, nisi cum maxima absurditate, statuet, ideo, quia *ususfructus* quoddam incorporeum est, fructus vero palpabiles & tantummodo objectum istius juris sunt. Quandoquidem multo plenius legatum *ususfructus*, quam operarum, quippe quæ tantummodo usum tribuere *l. 5. ff. de oper. serv. imo servis operis legatis neque usus neque Ususfructus legatus esse censetur l. 1. §. 9. ad L. Falcid.* Hi duo textus ab initio quidem inter se pugnare atque antinomiali statuere videntur,

An operæ  
serv. sint. ser-  
vit. pers.

dentur, sed re melius inspecta, ne minima subest, cum utrumque verum, quod enim operis legatis usus legasse censeatur, id ita intelligendum quia minus sunt illæ quam Ususfructus, & ideo pro usu potius habentur, quod postea autem de istis effertur: neque usum neque Ususfructum esse, itidem verum, minus enim continent, quam Ususfructus, plus vero quam usus, & ita conciliandos esse illos textus, ut non opus sit ad desperatissimum conciliandi modum, puta correctionem, confugere, quod quidam teste HUBERO faciunt ad *Inst. tit. de Usu & Hab.* Illud quod dixi, legatum Ususfructus plenius esse legato servi operarum, aperto nititur texta juris §. 4. *Inst. per qua pers. nob. acq. & l. penult. de stipul. serv.* quod & innuere videtur Iustus in *l. pen. ff. de oper. serv.* priori enim casu omnia etiam, quæ intuitu usufructuarii acquirit servus, consequitur *d. §. & l. 21. cum seqq. ff. de usufr.* & usufructus semper includit operas per *d. l. 4.* Non ideo tamen, quia operæ servorum neque Usus neque Ususfructus sunt, necesse est specialem personalem servitutem eas esse, in quo multi hallucinantur, quia hoc assertum cum natura eorum fortiter militet, transeunt enim ad heredes *l. 2. ff. de Usufr. leg. nec non usu & capitis diminutione amittuntur d. l. 2. uti ceteræ servitutes personales per innumerabiles textus.*

§. V.

Nobiliorem servitutum personalium speciem usumfructum paulo accuratius contemplaturus, initium ab ejus definitione facio, quæ talis nobis in Institutionibus & Digestis traditur, quod sit jus alienis rebus gratis ad tempus utendi fruendi, salva earum substantia *pr. Inst. & l. 1. ff. de Usufr.* Genus in hac descriptione est jus, quod nonnulli deservitute accipiunt, sed parum considerate, inepta enim est ista locutio si dixerò, usumfructum esse servitutem utendi fruendi re aliena, cum servitus sit inserviente, uti autem & frui ejus sit cui servitus debetur. Jus vim exercendi, servitus vero patiendi significationem habet. Omnes

Definitio U-  
susfructus.

mnes

mnes servitutes jura dicuntur, respectu ejus, cui constituta sunt, tanquam personæ primariæ. Adjungitur porro verbum juris verbo faciendi, quod cum fit testantibus omnibus latialis scriptoribus facultas, & potestas eo vocabulo significatur. HVB. *ad Inst. de Usufr.* Et eo sensu subsistit definitio usufructus, quamvis non negandum omnem in jure definitionem periculosam esse L. 202. ff. *de R. J.* SEBAST. *Medices tract. de defn. in Proem. n. 7.* Descriptio autem illa pertinet ad usufructum formalem, non ad eum, quem vocant causalem, hoc enim casu pars & effectus est Domini ceu patet ex L. 4. ff. *de Usufr. in verb. in multis ensibus pars domini est Usufructus* Addi velim, à nobis datam definitionem tantum comprehendere verum usufructum, excluso quasi. Qui non est Usufr. sed jus quoddam ei simile & affine, ideoque nec definitio ei competere oportet, quod Justinianus perspicue docet §. 2. *Inst. de Usufr.* & GAJVS in L. 2. §. *de usufr. ear. rer. que us. consumunt.* Ex definitione patet in re sterili non posse constitui, licet alias in quacunque re §. 2. *Inst. de Usufr.*

## §. VI.

Modi constituendi & primus quidem ult. volunt.

Modos constituendi usufructum quod attinet, de iis brevibus mihi agendum, dicam igitur bifariam constitui, vel enim facto hominis, vel Lege. Factum hominis quo usufructus statuitur quadruplex esse videtur: Primo per Testamentum aliamve ultimam voluntatem L. 3. ff. *de Usufr.* Ubi tamen sub legato usufructu sæpius proprietas comprehenditur, ratione habita potius mentis testatoris quam verborum, sic verbi gratia: quando alicui legatur usufructus cum facultate alienandi, tunc proprietas legata censetur, MENOCH. *Lib. 4. Præsumt. 133. n. 4.* idem procedere putant, si testator vetuerit ne usufructuarius alienet prædium MENOCH. *d. l. n. 3. § DD. communiter* Rectius tamen cum WISSENBACHIO & HVBERO tenetur contrariam; illa prohibitio enim est cautio & commonefactio ejus, quod testator scit officium fructuarii esse; nam sæpius accidit ut testatores, vel contrahentes actibus suis ea adjiciant,



ciant, quæ de jure ipsis inerant, & talis adjectio plenioris & evidentioris declarationis gratia censetur facta. *L. 47. ff. de C. & D. L. 3. ff. de Legat. 1. L. 78. §. 2. ff. de contrab. emt.* Jam dicta etiam obtinere puto, si ususfructus sit legatus, sub hac conditione, ne alius ædificia tollat, non necessaria enim verborum multiplicatio non mutat substantiam rerum *L. Pediculis 32. §. 6. ff. de aur. et arg. legat.* Proprietas vero legata censetur si alicui ususfructus relinquatur, ita ut post mortem alteri restituat *l. fin. ff. de usufr. ear. rer. l. 25. ff. de usufr. leg.* Quid vero legato usufructu usufructuarius consequatur? nunc nobis discutiendum; pendet autem hæc quæstio à tribus præjudicialibus, quid nimirum fructus? Quid proprie & stricte verbum fructus contineat? Et quid in nostra materia significet? quas ea, qua potest fieri, brevitate nunc ordine pertractabo. Ad primam enim respondetur fructus esse, quicquid ex fundo nascitur & percipi potest, à ferendo vel fruendo enim sunt dicta. Proprie fructus sunt, quod ex rei corpore immediate sumitur ut foetus animalium, poma oleum & fructus *l. 121. ff. de V. S.* si nimirum renascantur, illud enim quod non renascitur in fructu non est *l. 7. §. 13. ff. solut. matrim.* In latiori significato fructus, non ea tantum, quæ in fundo feruntur, sive ex re immediate percipiuntur, sed omnia emolumenta, lucra, commoditates & utilitates & quæ occasione rei proveniunt comprehendit *l. 28. §. 34. ff. de Usur. l. 9. ff. de Usufr.* Et sic accipitur *Jctis, l. 62. ff. de R. V. l. 62. ff. de Usufr. §. l. 42. ff. de Usufr. leg.* ubi: quod ad usum hominis inductum est, quæ verba multa includunt, quod ex ipsis patet & ex *l. 59. §. 1. ff. de Usufr. l. 48. §. 1. ff. eod.* Quid in legatum Usufr. veniat docet Ulpianus in *l. 7. §. Celsus in l. 9. ff. d. t.* ex quibus LL. satis abunde apparet etiam in legato Usufructus nomen fructuum late venire. Illud hic addendum si uni Usufructus alteri fundus sit legatus, ambo concurrunt in Usufructu, ultimo proprietate tota retenta *l. 19. ff. de Usufr. leg.* Sic ita ultima voluntate constitutus Usufructus ipso jure acquiritur legatariis,

B

ita

ita ut illum vindicare possint absque precedente traditione.  
VINNIUS ad §. 1. Inst. de Usufr.

## §. VII.

Secundus mo-  
dus Pact. &  
Stipul. 3. Cess.  
in jure & 4.  
per judicem.

Secundo pactioibus & stipulationibus, quæ sufficiunt ad promissionem, ad constitutionem vero ipsam requiritur insuper traditio, quæ hoc in casu fit Usufructuarius inducendo in fundum, patiendoque uti frui L. 3. ff. d. t. §. L. 11. §. 1. de Publ. in rem act. Tertio per cessionem in jure factam, de qua ULPIANVS Fragm. Tit. 19. §. 11. imo Dominus, quamvis Usufructum fundi non habeat, alii tamen concedere potest. L. 63. ff. de Usufr. Quarto denique per officium judicis, quando in judicio familiæ eriscundæ & communi dividundo judex uni proprietatem alteri Usufructum adjudicat L. 6. §. 1. d. t. Constitutio autem Usufructus potest fieri vel pure, vel sub conditione, vel ad tempus, L. 15. ff. quib. mod. Usufr. am. l. 54. ff. de Usufr. l. 12. C. eod. Quod in servitutibus realibus secus, utpote quæ sic ipso jure constitui nequeunt l. 4. ff. de serv. Quæ autem hujus diversitatis ratio difficile sane dictu, quasquas dedere DD. in hac subtilitate juris videre possunt apud JOH. DE CASTILLO. tr. de Usufr. c. 11. quæ ibi late dicta nec animus est nec otium transcribere.

## §. VIII.

Usufr. Divi-  
dus, reliquæ  
serv. indivi-  
duæ.

Monendum porro Usufructum pro parte divisa vel indivisa constitui posse L. 5. ff. de Usufr. cum Usufructus est dividuus, l. 5. l. 19. ff. de Us. & Hab. L. 1. §. 9. L. 81. ad L. Falcid. Mirandum sane unicum fere HOTOMANNVM in quest. Illustribus c. 18. dissentire. Non autem Usufructus perse dividuus est, quia omne incorporeum est individuum ARISTOT. lib. 3. de anima, sed propter facilem fructuum divisionem. Usus & reliquæ servitutes prædiales sunt individua; ideo autem individua dicuntur, quia consistunt in solo usu, qui est individuus, re enim non possum uti nisi utar tota L. 19. ff. de Us. & Hab. & utentis facto, putantur, agentis, aquam ducentis terminantur nulla re relicta quæ dividi possit: Usufructus vero consistit infruendo,

do, & quamvis hoc fit factum, tamen non eo solo terminatur, sed post se relinquit aliquid, i. e. fructus, qui cum dividi possunt etiam jus eorum percipiendorum dividuam habetur, sic possum fructus pro parte capere vel non. Sed quid est dividuum? & respondetur, quod vel in partes discretas secerni potest, ut centum amphoræ vini, decem boves vel aurei, vel in partes corporum, ut omnes corporales ædificium, fundus, homo, licet harum rerum divisio in partes distinctas sine rei detrimento fieri haud possit. Doctores alia ratione dividendi utuntur, cum enim de dividendis partibus corporis loquuntur, non intelligunt discretas & corporaliter divisas, sed indiscretas & confusas, & sic intellectu magis quam corpore, v. gr. quando dico Cajum & Sejum esse unius fundi dominos, intelligitur rem esse divisam in partes, quæ tamen confusæ & commixtæ sunt, ita ut neuter alteri suam partem discretam demonstrare, vel hanc vel illam rem, forte agrum, ad se pertinere affirmare possit, excluso alterius dominio *L. 5. ff. de stip. Serv. L. 66. §. 2. ff. de legat. 2. & hæ proprie sunt partes, facta enim corporali separatione non amplius sunt partes, sed constituunt discretum corpus & censentur duo fundi L. 25. §. 1. ff. de V. S. L. 6. §. 1. ff. commun. præd. Vinn. L. 1. quest. select. jur. c. 28.*

§. IX.

Nullam servitutem usucapione acquiri posse, ratio Nulla serv. olim usucapiebatur. suadet quia non habent certam & continuam possessionem *l. 14. ff. de serv.* quod & olim observabatur; invaluit quidem autoritate prudentum ut urbanæ servitutes usucapi poterant, quod in his continua quædam, si non vera, saltem quasi possessio esse videretur, quia vero nec urbanæ servitutes vere possidentur, Lex Scriboniana sustulit illam usucapionem, consuetudine contra rationem juris introductam *L. 4. §. ult. l. 19. §. 1. de usuc. de l. 14. de serv.* Quamvis autem servitutes usucapi haud poterant, biennio nimirum, quo præter lapso prædiorum Italico-  
B 2 præsentes

præsentes decem inter absentes viginti annis acquirebantur utilibusque actionibus vindicabantur, id quod expressis verbis innuit *L. 10. ff. si serv. vind. L. 1. ff. de aq. & aq. pluv. L. 2. C. de serv.* Præscriptio enim non actionem sed exceptionem tribuebat, tamen postea placuit, ut utilis ei daretur actio, cui acquisita erat servitus præscriptione *L. pen. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* ait tamen Imperator etiam illam veteres leges dedisse *d. l. 10.* at usucapio tribuebat actionem *d. l. pen. Cod. CVJAC. in parat. C. de Præscr. long. temp.* qui in hoc ad huc hodie inter usucapionem & præscriptionem ponit differentiam. Ex his ita dictis novus nobis Usumfructum constituendi modus se offert, nimirum præscriptio longi temporis *l. ult. C. de Præscr. long. temp. arg. L. ult. C. de serv.*

§. X.

Lex ult. C. de præscr. Long. temp. de acquisitiva non extinctiva præscr. intelligenda.

Præscriptionem longi temporis modum esse constituendi Usumfructum, apud omnes inconfesso est per *L. 10. ff. si servit. vind. L. 1. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Verum an dicta lex ult. Cod. sit intelligenda de acquisitiva vel extinctiva Ususfructus præscriptione? de eo inquam quaestio est inter DD. Et Glossa quidem de extinctiva eam intelligit, ut videre licet ad *dict. leg. sub Lit. F.* Prioris sententiae Patroni sunt plurimi Glossatores ut CINVS, BALDVS, SALICETVS, CASTRENS. & BARTOL. in *L. justo 44. §. non mutat. s. de usuc.* & DD. communiter, quorum sententiae & ego subscribo, non tam autoritate, quam ratione ad suffragium hoc allectus; nam quod dissentientes urgeant verba: *nulla scientia vel ignorantia spectanda, & quod in sub sequentibus statim dicatur: idem in Ususfructu observandum etceteris servitutibus realibus, quæ satis indicarent textum intelligendum de extinctiva, quia in servitutibus præscribendis requireretur scientia & patientia, indicta vero lege dicatur: quod neque scientia neque ignorantia spectanda.* Tantum autem abest, ut hoc argumentum probet id, quod volunt Dissidententes, ut potius pro nostra faciat sententia; casus enim indicta lege est ubi alicui à non Domino, quem tamen esse credebat præscribens, titulo habili constitutu

stitutus est usufructus, quo casu proprie tractatur de præscriptione, & tunc non opus est scientia domini, quia titulus & bona fides adest, quod satis abunde ex ipso textu apparet; minime vero de casu loquitur quo quis absque titulo sciente Domino acquirere vult servitutem per longum usum, nam eatenus scientia Domini requiritur; dupliciter enim acquiritur servitus uti statim ex sequenti §. illucesset, & ex quo jam dicta majorem lucem accipient.

§. XI.

Accidit autem ut quis Usufructum acquirat, præscriptione dupliciter; primo si Usufructuarius à non domino prædii, quem tamen dominum esset credebat, Usufructus sit constitutus causa tituloque præcedente & ille per X. vel XX. annos continenter illum exercuerit; qui modus cum præscriptione seu usucapione rerum corporalium communis est, *d. l. ult. C.* & quia hic possessionis initium à non domino est, ideo etiam titulus necessarius, contra ignorantia dominium nihil juvat, uti etiam in rebus corporalibus *d. l. ult.* Secundo, si nullo quidem titulo præcedente cæterum nec vi, nec clam, nec precario, sed sciente & patiente domino, quod hic instar traditionis & boni initii est, per legitimum tempus prædio usufructusque fuerit; quoniam vero hic possessio à domino scientia ac patientia ejusdem requiritur, titulus vero non item, si enim titulus præcesserit, tunc statim ei acquisitus, nec opus esset præscriptione per notoria *l. 31. ff. de A. R. D. §. 40. J. eod* JOH. de CASTILL. *quotid. Controv. Jur. tract. de Usufr. Cap. 68. n. VINN. §. comment. ad §. 1. Instit. de Usufr. HVB. ad tit. ff. de Usufr. n. 4.* Ad quem posteriorem modum pertinet *l. 10. ff. si serv. vind. sole meridiano clarior*, inquit enim Ulpianus: *si quis diuturnu usu & longa quasi possessione jus aquæ ducendæ nactus sit, non est ei necesse docere de jure, quo aqua constituta, veluti ex legato vel alio modo sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos forte tot usum se, non vi, non clam non precario.* Quæ sententia quamvis vero verior

Dupliciter U. usufructus præscriptione acquiritur.

fit; non desunt tamen quibus ea displiceat eamque impugnent, ut sunt DVAREN. *l. 1. Disp. C. 34.* HOTTOM. *8. obs. II.* CORAS. *in l. servitutes. 14. n. 31. ff. de serv.* RÆVARD. *ad. L. scrib. C. 7. quos & sequitur SCHÜTZ. in comp. Jur. ad tit. de Usufr.* DVARENVS verba: *non ei est de Jure suo docere, quo constituta,* interpretatur de Jure Civili & directo, quasi hæc sit Jcti mens, quod quidem ei servitus quæsitâ sit, licet non Jure Civili & directo, i. e. iisdem modis, quibus Jure Civili servitutes constituebantur v. gr. legato donatione &c. debeat probare. Sed quis non videt, talem interpretationem neque sententiæ, neque verbis Ulpiani convenire, quia Jctus declarat verbum Juris exemplo legati, ideo per illud intelligere titulum, quod etiam probat ACCVRS, verba autem illa non posse de modo, sed potius de titulo intelligi, eleganter ostendit VIN. *l. 1. quæ 31. inquit:* hoc non pati verba, ut exemplum propositum à Jcto possit capi de modo sed titulo, possiet enim servitus ab eo legari, qui non est dominus fundi à quo nemo Jure constitutam servitutum dixerit, si à domino legatam proponis non convenit sententiæ Jcti, qui loquitur de præscriptione, quæ tunc super vacua SCHIFORDECK. *Disp. forens. l. 1. tract. 6. quæst. 3. & duabus præcedentibus* singulis dissentientium argumentis occurrit eaque diluit, & si dicendum quod res est, ægra admodum sunt & invalida. Unicum illud Corasii quod ex *C. 1. de præscr. in bto* depromsit, quod aliquid ponderis habere & quandam speciem recti præ se ferre videtur, examinare licet, tale autem est: vindicantibus servitutum in fundo alieno juris præsumptio obstat *l. 8. 9. 10. II. Cod. de serv.* jam vero is, qui contra præsumptionem juris præscribit, opus habet titulo *d. C. 1. de præscr. in bto.* & sane hoc argumentum mirifice torsit ingenia D.D. ut videndum ex VASQ. *Controv. illust. l. 2. C. 87.* Nobis arridet responsio laudati SCHIFORD. *dict. l. quæst 5.* quod nimirum præsumptio militaret contra eum, qui sine patientia servitutum præscripsit, non vero qui rite i. e. sciente & patiente domino usu & longa quasi possessione tale jus nactus est.

est. Nequis autem quod supra diximus; patientiam & scientiam esse vice boni initii locoque traditionis, caperet indeque colligat; quod ita statim sit usufructus quæsitus, absque ex longi temporis possessione: sed sciat: titulum hic abesse & ideo per hanc quasi traditionem servitutem nostram non fieri *arg. l. 31. ff. de A. R. D.* saltem effici, ut locus sit præscriptione.

§. XII.

Sic constitui Usufructus effectus est, ut omnia com-  
moda, emolumenta atque proventus ad Usufructuarium  
pertineant, modo salva & inmutata re percipere possunt,  
tam ad necessitatem quam ad voluptatem *l. 7. l. 9. l. 12. §. 5.  
l. 58. ff. de Usufr.* Non solum autem fructus, sed & ceteros pro-  
ventus v. gr. mineram, cretam, arenam, lapidicinam, venam  
marmoream sive auream, sive argenteam quæ in fundo fru-  
ctuario reperiuntur, *l. 9. §. 2. §. 3. l. 13. §. 5. de Usufr. l. 7. §. 14.  
solut. matr.* addunt tñ. D. D. limitationem ex *d. l. 7. §. 13. ff. so-  
lut. matr.* si nimirum renascuntur, alias non in fructu esse. CA-  
STILLO *c. 37.* ubi etiam de thesauro invento ad quem perti-  
neat tradit; Id quod alluvione accedit fundo, cedit etiam  
Usufructuario, secus insula in flumine nata quæ proprie-  
tarii sit *l. 9. §. 4. ff. de Usufr.* Ratio disparitatis redditur in  
eadem lege: quia quod alluvione accedit, fundum auget  
ejusque pars efficitur, insula autem separatus ager est &  
distinctus a fundo fructuario *d. l. 9. §. 4. de CASTILLO d. l.* Uti  
trui autem re boni viri arbitrato debet & hac de causa ca-  
vere, quod sic uti velit, remque finito Usufructu restituere,  
*l. 1. pr. §. 3. ff. Usufr. quem. cav. l. 4. C. de Usufr.* cautio  
autem illa debet fieri datis fidejussoribus quæ in LL. di-  
citur satisdatio *l. 13. ff. l. 4. C. de Usufr. l. 7. quemd. cav. Usa-  
fr.* quæ in tantum necessaria ut à testatore remitti nequeat  
*l. 1. C. de Usufr. l. pen. C. ut. in poss. legat.* JOH. DE CASTILL. *d. tr. C.  
15.* & quamvis forte licentiam à Principe sibi concessam  
habeat, non ideo tamen valet illa remissio ratio in aprico  
est; quia Princeps suum jus quæsitum nulli potest auferre  
sine probabili causâ, alias se adspergit macula inconstantia  
peccat.

Omnes pro-  
ventus ad Usu-  
fr. spectant.  
Officium ejus-  
dem.

peccatque in regulas justitiæ gubernatricis GROT. *de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 24.* talisque concessio invitaret ad delinquendum ideoque non valeret ROLANDVS à Valle Vol. 1. *Conf. 92. n. 3.* sic etiam heres non tenetur ex mandato testatoris fidejussorem pauperem & fortunis lapsum recipere, tali enim casu per obliquum taceret, quod directo non potuit, defraudaretque L.L. contra *c. cumquid 39. de R. J. in bto.* JOH. DE CASTILL. *d. l. Inventarium porro conficere tenetur Usufructuarius l. 1. §. 4. ff. Usufr. quemad. cav.* ratio quia necessarium antecedens est satisfactionis, quæ hoc deficiente non posset æstimari ROL. à VALLE *d. l. n. 15. & 16.* JOH. DE CASTILL. *d. l.* Super sunt quidem multæ ad huc quæstiones circa materiam usufr. quæ commode hic tractari possent, ne tamen plane devius à scopo meo videar eas intagandas relinquo iis, quibus animus est materiam Usufr. ex professo, à capite usque ad calcem examinare, ut ego hoc faciam nec angustia pagellarum, nec breve tempus, quo includor, nec denique instituti ratio patitur.

§. XIII.

Prima species  
Usufr. legalis.

Restat ut Usufr. legalem, qui proprie huc spectat paulo pensitatus consideremus de eoque ordine nunc agamus. Lege constituitur Usufr. varie: primo Patri in bonis filiorum adventitiis in potestate patris adhuc existentium, vi quidem patriæ potestatis §. 1. *J. per quas pers. cuique acq. l. 6. C. de bon. quæ lib. l. 1. C. de bon. matern.* Bona autem adventitia sunt, quæ ad filium in sacris paternis adhuc constitutum aliunde quam ex re patris, vel intuitu militiæ perveniunt, *d. §. 1.* & secundum quidem vetus jus Rom. pleno Patribus acquirebantur jure, ita ut de omnibus bonis filiorum libere, exceptis tantummodo Castrensibus peculiis, disponere poterant, *d. §. 1.* nec magis sibi acquirebant, quam servi, imo patria potestas per omnia fere tam rigida fuit quam Dominica, cum olim extenderetur ad jus vitæ & necis *l. 11. ff. de lib. & postb.* venditionem eorum, & ex delicto filii tam æque noxaliter agebatur

batur



retur quam ex delicto servi §. ult. Inst. de Nox. act. Admodum autem asperum illud jus Imp. Justinian. temperavit, atque rigorem illius juris antiqui eo reduxit, ut quidem pater Usufr. bonorum filiorumfam. adventitiorum haberet, dominium vero apud hos remaneret l. 6. C. de bon. quæ lib. §. 1. J. per quas pers. cuique acqu. qui §. tam formalis & clarus est, ut ii merito plane excæcati sint, qui & jure Dig. hoc jus jam invaluisse statuunt. Sunt tamen Jure novo quædam bona adventitia in quibus pater nequidem usufructum habet, ut omnia bona quæ liberis sunt ea lege relicta, ne patri acquiratur usufructus Nov. 117. c. 1. Aut. Excipitur. C. de bon. quæ liberis. aut quæ invito Patre acquisivit l. ult. C. de bon. quæ lib. & adhuc plura. STRUV. in Syntagm. Jur. Civ. Disp. 12. th. 5. Speciem ubi usufructus lege constituitur ponit in eo, ubi pater in præmium emancipationis dimidiam usufructus partem bonorum adventitiorum retinet §. 2. Inst. per quas pers. cuique acq. sed meo judicio minus recte, cum dictus casus exemplum potius sit ubi retinetur usufructus quam acquiritur, in d. §. enim Imp. non dicit, quod cum sit extinctus usufructus de novo constituitur, sed utitur verbo retinere. d. §. rationi etiam contrarium est quod mihi hoc, quod jam habeo, sine evidente inutilitate, possit constitui. Dicat autem quis: non habuit olim usumfr. in dimidia parte bonorum facta emancipatione, sed hic ei demum hoc suo constitutus est; sed non deest quod respondeo: olim loco usufructus dimidiæ partis, tertiam bonorum partem accepisse & retinuisse dominotenus; cum autem hoc nimis rigidum visum fuisset Imperat. loco tertiæ hujus proprietatis partis, constituit in dimidia usumfructum, quod surrogatum est in locum tertiæ partis pleno jure retentæ, per consequens ejus sapit naturam.

§. XIV.

Quamvis autem Usufructus quem pater habet potentior sit alio Usufructu in quam plurimis; dicitur enim quod pater possit omnia gerere, ac si perfecte Dominus esset

Potentior usufructus Patris quam extranei cujusdam.

C.

esset *l. 1. C. de bon. matern.* quæ potestas nullibi tam ampla usufructuariis ceteris conceditur, utpote qui dicuntur habere custodiam, quam & præstant *l. 1. §. fin. cum l. seq. ff. Usufr. quemad. Cav.* etiam tuto non licet argumentari ab alio usufructuario ad Patrem *l. 6. §. 2. §. l. ult. §. fin. C. de bon. quæ liber. PIN. in l. 1. C. de bon. matern. part. 2. n. 16.* minime tamen ideo negandum verum illum & formalem esse Usufructum, quoniam alteri Usufructui in multis assimilatur separatusque est à proprietate, utpote quæ apud filios residet *§. 1. Inst. per quas pers. cuique acqu.* est etiam jus rebus alienis utendi fruendi salva rerum substantia, quas conservare indemnes patrem oportet; præterea in juris textibus sæpius vocatur usufructus, *l. 1. §. 2. C. de bon. matern. §. 2. Inst. per quas pers. cuique acqu.* semper autem nomen Usufructus cum reperitur in L.L. de formali accipiendum nunquam de eo, quem Doctores vocant causalem, docet JOH. DE CASTILLO *Cap. 3.* qui & dissentientem ab hac evidentissima sententia citat MENDEZ DE CASTRO *in l. 6.* cujus argumenta infirmiora sunt, quam ut illam jure maxime fundatam labefactare possint, ea videre licet apud JOH. DE CAST. *d. l. n. 76.* à quo & iis abunde satisfactum, quod autem argumentum ex *l. 38. ff. de pactis* extorquere vult, mihi sane non constat, nec hoc Minervæ suffragium mens & cogitatio mea capere valet. Ex hætenus dictis jam apparet Patrem ratione bonorum adventitiorum nil nisi usufructum habere, etsi pinguior sit eo, quem extraneus habet, ideoque etiam quibusdam oneribus exemptus, sic ei remittitur cautio *l. ult. §. 4. in fin. l. 6. §. 2. C. de bon. quæ lib.* eo magis cum semper militet præsumptio pro patre, quod salubrius consilium in gratiam filiorum capiat MASC. *de prob. Vol. II. Concl. 714. n. 4.* & plus diligat filium quam se ipsum ut *Gloss. ex l. 8. §. ult. D. quod met. caus.* concludit MASCARD. *de prob. Vol. 3. Concl. 1154. n. 3. §. 4.* Inventarium conficere etiam non tenetur pater, & ab hoc gravamine liber est secus ac alius Usufructuarius, non absque ratione, cum enim non teneatur ad rationes reddendas per consequens etiam

etiam

etiam non ad confectionem inventarii cum confectio inventarii tangat eos, qui obnoxii sunt redditioni rationum *arg. l. 32. C. de Episc. & Cleric. MYNS. C. 2. O. 93.* ubi in Camera id observari testatur, imo hoc est, ut supra §. XII. ex Roland. à Valle monui, necessarium antecedens satisfactionis, quæ hic cessat, uti statim dictum & probatum. Talis insuper necessaria confectionis inventarii impositio pugnaret cum fide, quam LL. ei tribuunt, quomodo etiam antea deductum. Interim tamen posse eum quandoque per judicem ad tale conficiendum cogi, si verb. gr. satis fundata dissipationis bonorum subsit suspicio, vel consuetudo ei intercesserit cum perversis & depravatis hominibus, cum *MYNSING. d. l. ambabus largimur manibus.* Melius autem faciet pater, si descriptionem quandam bonorum conficiat notario & duobus testibus adhibitis, quod & is Usufructuarius facere debet, cui inventarii confectio remissa est *ROL. à VALL. Tom. 1. conf. 92. n. 21.* imo in foro conscientiae obligatum esse ad talem designationem faciendam contendit *MOLINA de J. J. tract. 2. D. 219. ante fin.* Sunt qui plane nullum inter inventarium & descriptionem bonorum faciunt differentiam, sed quam maxime falluntur ex *l. ult. C. de jure deliber.* apparet, ubi requisita, quæ longa serie examinat. *MOLIN. d. tr. D. 218.* inventarii recensentur in descriptione minime necessaria, uti autores citati à *JOH. CASTILLO d. tr. C. 3.* illud pluribus demonstrant, & si idem essent, cur diversis nominibus nuncuparentur differentiaque constitueretur? *l. 7. C. de Codicill.* Non ideo tamen ei licet rem in præjudicium proprietarii deteriore reddere *l. ult. §. 4. vers. hæc procul. C. de bon. quæ liber.* alias administratio, quam à Lege habet, ita ut omnia negotia tam judicialia, quam extrajudicialia absque ulteriori decreto suscipere possit, *L. 1. C. de bon. matern.* illi auferenda & removeri potest. Deterioratio autem illa debet esse notabilis, alias tantum tenetur ad id quod interest; debet fieri in substantia, non in fructibus, & per culpam *MENOCH. A. J. Q. 1. 2. Cent. 1. cas. 78. n. 6. &*

tali casu non modo administrationem, sed & usumfructum amittit, uti alius usufructuarius. Quæstio nova hic suboritur an nimirum Pater ad secundas nuptias transiens etiam teneatur satisfacere & inventarium conficere? Sunt qui totam quæstionem affirmant inter quos & PINELLVS *part. 2. ad l. 1. C. n. 75. in fine pene.* alii distinguunt secundum *l. 6. C. §. 1. de sec. nupt.* inter res mobiles & immobiles, ut de his, non de illis, omnino & satisfacere & inventarium conficere teneatur CASTILLO *d. tr. c. 3. n. 98.* & quos allegat. Neutra autem nobis placet, potius negantibus adstipulamur, ideo autem quia in *d. l. 6. §. 1.* tantummodo matris mentio fit cum tamen antea ambo conjunctim nominentur; sexus quidem Masculinus includit fœmininum *l. 62. ff. de Leg. 3.* non tamen contra, & ratio subest, quia amor paternus majori firmitate & judicio roboratur, mater vero minus diligere censetur liberos prioris matrimonii, imo sæpe novis viris non solum bona liberorum sed & vitam addicunt *l. 22. vers. servi etiam. C. de administ. tut.* PINELLVS *ad l. ult. C. de bon. mat. n. 16.* CARPZ. *P. 2. C. II. Def. 42. n. 4. & 5.* De repertorio autem hoc addere licet, quod si liberi vel iudex illud exigant eum tunc etiam ad tale teneri conficiendum. DE CASTILLO *d. c.*

§. XV.

Altera species  
Ufufufr. legalis  
ex *l. 3. & 5. C. de sec. nupt.*

Constituitur secundo à Lege Usufructus parenti superstiti ad secunda vota transeunti in bonis, quæ a defuncto conjugè quocunque titulo, lucrativo scilicet BÖER. *Decis. 85. n. 5.* accepit, proprietate liberis reservata *l. 3. & 5. juncta Aut. uxore mortua C. de sec. nupt.* Idem obtinet si pater vel mater succedat filio mortuo & tunc itidem tantum consequitur Usufructum, fratribus & sororibus defuncti in iis bonis, quæ mortuus à patre habuit, non vero quæ aliunde *l. 5. C. ad Scutum Tertull.* proprietate reservata. Ita ut de illis neque inter vivos neque mortis causa disponere possint parentes *d. L. L.* & si alienaverint datur liberis prioris matrimonii vindicatio contra possessores BÖER. *Dec. 101. de CASTIL. d. tr. c. 2.* quia alienando illa bona

na

na jus utendi fruendi quod habuerunt statim amittunt & consolidatur cum proprietate *l. 66. ff. de jur. dot.* In matre tamen merito adhibetur distinctio *L. 6. §. 1. C. de secund. nupt.* inter mobilia & immobilia GOMEZ *ad L. 15. Taur. pag. 115. n. 5.* Et ratione istorum bonorum liberi habent tacitam hypothecam in omnibus bonis conjugis ad secunda vota transeuntis *L. 8. §. 5. C. d. t.* Si itaque nulli liberi ex priori conjugio adsunt, vel ipso transitu tempore imo post decedant, cessat legis dispositio, ratione ejus cessante, MYNS. *c. 5. n. 6. obs. 24.* An autem hic appellatione filiorum nepotes contineantur? quaritur, & resp. omnino contineri; iuxta enim interpretatione. i. e. ubi eadem æquitas valet, sub appellatione filiorum nepotes continentur *l. 84. §. 201. D. de V. S. WISSENB. ad d. tit. D. 40. tb. 4.* præsertim si causæ sunt meræ favorabiles. HOPP. *ad §. 1. Inst. qui test. tut. dar. poss.* textus etiam expressus in *l. 7. 6. §. Aut. si tamen C. de sec. nupt.* Nec minus quod in Parentibus statutum obtinet etiam in avo & avia ceterisque ascendentibus per *dd. ll.* Dixi superius quod omnia bona liberis debeant reservare, quæ tit. lucrativo acceperunt, hinc oritur dubium an etiam ea, quæ ex donatione remuneratoria à matre sibi facta, & contra, consecuta est, liberis debeat reservare? & resp. quod non, BÖER. *Dec. 185. n. 10.* quia donatio remuneratoria titulum onerosum continere videtur MENOCH. *Vol. 1. lib. 2. Cons. 155. n. 6. usque ad 11.* quia proprie donatio non est *l. 27. ff. de Don. sed permutatio* quædam GLOSS. *in l. 7. §. 2. ff. de donat. int. viv. §. uxor.* adeo ut etiam evictio in tali donatione sit præstanda, CARPZ. *P. 2. C. 34. def. 24.* Si autem statuto vel consuetudine loci maritus vel mulier aliquid capit, quaritur, an hoc pleno jure, an tantum modo Usumfructum illius consequatur? & tantum usumfr. eam habere reservata proprietate liberis verius est, nisi statutum aliud voluerit, BÖER. *D. 158. n. 9.* in dubio enim statuta, ex jure Civ. explicantur & restringuntur *c. 8. X. de Consuet. GAIL. l. 1. o. 50. n. 8. CARPZ. P. 3. C. 20. d. 10. n. 6.* Ea autem bona quæ ex successione filii & quæ hic à fratre

suo pramortuo ex causa testati accepit, non tenetur re-  
 servare liberis secundum distinctionem *l. 5. C. ad SCtum  
 Tertull.* non enim ex substantia patris sed ex patrimonio  
 fratris promanaverunt, causa autem propria & immediata  
 intelligitur, accedit quod hereditas post aditionem pro-  
 prium efficiatur patrimonium adeuntis *l. 10. §. 2. ff. de vulg.  
 & pupill. subst. §. 1. Inst. de hered. qual. & differentia MENOCH.  
 l. 2. Consil. 124. n. 5. & lib. 1. Conf. 50. n. 16. & Conf. 77. n. 7.*  
 Hæ leges etiam sunt pœnales, ergo potius sunt restringen-  
 dæ, quam ampliandæ *l. 42. ff. de pœn. l. 155. §. 1. de R. J.  
 MENOCH. l. 2. Conf. 155. n. 7.* Sed quomodo succedant tam  
 ex testamento quam ab intestato liberis, & an omnia quæ  
 ex hereditate filiorum consecuti sunt, teneantur reservare  
 liberis, de eo non conveniunt Doctores, nos Boërii &  
 Menochii sententiam amplectimur, quæ eo redit, quod  
 nimirum ea, quæ filius in testamento illis reliquit, capiant,  
 si conditi testamenti tempore jam ad secunda vota convola-  
 verint adeo, ut possint ad supplementum legitimæ agere, si  
 iis plena haud relicta, ratio est: quia tunc censetur culpam  
 iis remisisse; si vero durante viduitate decesserit testator fi-  
 lius, tunc major dubitatio est; quidam dicunt quod non  
 possint id, quod iis relictum in testamento consequi, ideo  
 quia remissio non intelligatur cum nondum contracta cul-  
 pa: sed contraria verior, quia primo *Aut. ex testam. C. de se-  
 cund. nupt.* generaliter concepta, de inde quia Imperator  
 morientium voluntates quocunque modo custodire vult,  
*Nov. 22. C. 46. §. 2.* qui §. itidem simpliciter loquitur; ab in-  
 testato autem succedunt secundum distinctionem *l. 5. C. ad  
 SCtum Tertull.* de quo supra. Sed habent ne legitimam  
 pleno jure salvam? Et respondemus: quod non, firmissi-  
 mis rationibus muniti; nam legitima non debetur, nisi ei  
 qui succedit ab intestato, mulier autem vel maritus transiens  
 ad secunda vota non succedit ab intestato, sed tantummodo  
 capit usumfructum earum rerum quæ ex substantia patris ad  
 liberos pervenerunt *d. Nov. 22. C. 46. §. 2.* qui textus clare illum  
 inter DD. dissensum dirimit; nam quid conquerentur de  
 legi-

legitima? cum hoc damnum sua culpa sentiant, sibi impu-  
tent, quod non abstinuerint; eo magis cum sciant maxime  
odiosam esse repetitionem nuptiarum, imprimis in muliere,  
utpote de qua dicitur, injuria afficere eam defunctum ma-  
ritum, contristarique animam pramortui mariti secundo  
nubendo, imo tria negligere, Deum, defuncti memoriam,  
& dilectionem filiorum *Nov. 22. c. 40.* Quas rationes ridi-  
culas vocat WISSENBACHIVS. Bona etiam donata alicui con-  
jugi intuitu & contemplatione alterius debent libe-  
ris reservare, ratio quia quicquid uxori contemplatione  
mariti donatur, id videtur donatum ab ipso marito, & huic  
acquiritur *l. 10. §. 6. ff. de vulg. & pupillari subst. MENOCH. l. 2.  
C. 161. n. 12. 29. §. 36.* facit etiam hic *Aut. in Donat. C. de sec.  
nupt. Nov. 22. C. 23. in fin.* quibus textibus nihil clarius,  
nec obstat quod sit pœnalis constitutio, nam licet sit pœna-  
lis ad alium tamen sibi similem casum extenditur ex dispo-  
sitione alterius legis extendentis GOMEZ *ad LL. Taur. 15. n. 7.*  
Fructus etiam nondum separati ex bonis mortuorum li-  
berorum prioris matrimonii liberis reservantur CHASSA-  
NÆVS *in Consuet. Burg. Rubr. VI. §. VII.* ex notissima juris  
ratione quia fructus pendentes sunt pars fundi. *l. 44. ff. de  
R. V. l. 58. de Usufr. l. 13. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Sed quo  
tempore finitur Usufructus, an tempore, quo liberi con-  
trahunt matrimonia, an potius durat usufructus usque  
ad mortem? Et affirmamus posterius, per *l. 3. §. 1. C. de se-  
cundis nupt.* Pœnas istas secundarum nuptiarum extendunt  
etiam ad viduas parum pudice viventes, *arg. Nov. 39. C. 2. §.  
fin. ANTON. GOMEZ. ad L. 53. Tauri, FELIN in cap. pastoralis vol. 3.  
MYNSING. §. O. 24. n. 5. GAIL. o. 98. l. 2.*

§. XVI.

Effugit autem mulier vel maritus pœnas secundarum  
nuptiarum, nubendo consensu liberorum primi matrimo-  
nii, injuriam enim quam intulit liberis *Nov. 2. §. 1.* hi eo ipso  
remittunt & volenti non fit injuria *l. 1. §. 5. ff. de injur.  
Cap. 27. de R. J. in bto & jam dicta recte sese habent si expres-  
sus*

Quando ces-  
sant pœnæ  
sec. nupt.

sus filiorum adest consensus, quia expediti est juris, quem  
 libet favori pro se introducto renunciare valere; sed de ta-  
 cito consensu major est difficultas; DD. quidem, quos  
 magno numero recenset MENOCH. *Conf.* 155. n. 16. lib. 2. qui  
 tamen sibi contrarius *conf.* 237. & de CASTILLO C. 2. n. 92.  
 uno ore affirmant, tacitum hoc in casu consensum idem  
 efficere ac expressum, qua ratione autem, certe non addu-  
 cunt, & videtur mihi stare pro ratione voluntatem; jam  
 vero antea monui, me nunquam multitudine DD. militare,  
 sed potius gravitate rationum, & sic hic in contrarias abi-  
 re partes licebit. Nemo enim tacens praesumitur favo-  
 ri & juri pro se introducto renunciasse, per jura notoria,  
 imo potius dissensisse *l. 9. §. 1. ff. de procur.* quod enim cita-  
 ti DD. dicunt eos renunciasse videri, si forte non con-  
 questi sunt & acquieverunt, imo si praesentes cum con-  
 traheretur matrimonium, nihil dixerunt, sed potius gratu-  
 lati sunt, tantum abest ut tacitum haec inducant consensum;  
 ut potius talis sententia a ratione juris plane aliena sit;  
 neque enim querimonia, oppositione & contradictione,  
 etiamsi praesentes fuerint impedirentur tales nuptiae; non  
 contradicens autem actui, qui eo in vito celebrari potest,  
 nullum sibi creat praesudicium *l. 39. ff. de pign. act.* cogitat  
 enim praesens semper suum jus sibi esse salvum *l. 8. §. 15. ff.*  
*quib. mod. pign. vel hyp. solv.* Et ob reverentiam non audent  
 contradicere patri vel matri MENOCH. *l. 6. praes.* 99. n. 56.  
 Gratulationes autem istae ex observantia potius jure, Na-  
 turae parentibus debita, quam ex animo renunciandi pro-  
 venire censentur; absit, ut talia laudabilia facta, descenden-  
 tia expietate, liberis tantum creent praesudicium. Ab hi-  
 sce dictis tamen excipias velim casum in praecedenti §vo al-  
 latum, nimirum ubi superstiti conjugii filius aliquid re-  
 liquit testamento, quia tunc tacitus consensus, ut dixi, se  
 exierit in facto, facta autem fortiolem inducunt ratifica-  
 tionem quam verba MENOCH. *Conf.* 507. n. 15. lib. 6. Quan-  
 do vero defunctus conjux permittit superstiti ad secundas  
 transire nuptias, an teneatur liberis bona reservare  
 quae-



quæritur? Respondemus affirmando, nemo enim potest facere, quo minus leges in suo testamento valeant, *L. 55. ff. de legat. 1.* Multoque potentius est quod in Albo Prætoris lego, quam quod in testamento. *QVINTII. Declam. 374.* In contrarias quidem abit partes totum fere Doctõrum agmen, uti ex *GAIL. Lib. 2. O. 98. n. 18. MYNS. 5. O. 24. n. 7. JOH. DE CASTIL. d. l. patet*, sed rationibus haud satis prægnantibus, atque argumentis à superciliis, non vero è rerum visceribus eductis. Porrò pœnas cessare putant, si licentiam secundo nubendi à Principe impetrarunt, *BOER. Decis. 185. GAIL. & MYNS. dd. ll. quod etiam in pœnis à muliere celebrati intra annum luctus matrimonii, non vero in beneficiis, favore liberorum introductis cum HVB. ad ff. de rit. nupt. sub tit. de sec. nupt. TVLDEN. ad tit. de sec. nupt. n. 8. in fin. & per ea, quæ §. XII. Dissertationis nostræ tradidimus, admitto.* Usufructu bonorum ea lege relicto, si castè & honestè vixerit mulier, transeundo ad secundas nuptias haud cadit, quia mulier non censetur inhonestè vivere incundo secundas nuptias. *arg. L. 1. C. de indict. viduit. Vidua tamen turpiter vivens, licet in viduitate permaneat, eandem pœnam cum secundo nubentibus incurrit. TVLD. d. l. n. 9.*

§. XVII.

Pro Coronide hujus materiæ liceat definire, an pœnæ secundarum nuptiarum (quæ improprie sic vocantur, rei enim licitæ nulla pœna) Jure Canonico sint sublata? Nobis placet distinguendum opinio, nimirum præter pœnam infamiæ, mulieri intra annum luctus nubenti irrogatam, nullam esse abrogatam. *Cap. pen. & ult. X. de sec. nupt.* Quam etiam secuti plurimi Canonistæ & Legistæ, quos magno numero recenset *MATH. de AFFLICT. Decis. Neapol. 75.* quia propriè non in pœnam contracti matrimonii illud statutum; sed prospectum tantum liberis primi matrimonii, ne fraudentur propter secundum; sunt etiam textus correctorii, qui stricte interpretandi, *L. 27. C. de testam.* Et certe nulla

An pœnæ secund. nupt. sint sublata?

D

hac

hac de re esset dubitatio, modò remotis præconceptis opinionibus, rectis textus istos DD. inspexerint oculis.

## §. XVIII.

Conclusio hujus Cap. & transitus ad sequens.

Sufficiant hæc de usufructu Legali ex Jure Civili, transeamus ad usufructum qui Parentibus Jure consuetudinario Brabantia, quod vocant, Devolutionis, proprietate ad liberos devoluta, constituitur. Quod jus radices suas omnino in Jure Civili, præprimis in sapius citata L. 3. §. 5. C. de sec. nupt. juncta Novell. 98. c. 1. agit. Istius itaque Juris tractationem Capite statim sequenti, A. D. aggrediar, multo magis cum circa materiam usufructus admodum prolixus fuerim, non tamen, uti credo, absque ratione, cum quaestiones hinc inde decisæ, in materia Juris Devolutionis non solùm iterum occurrant, sed & ab iis atque earum pendeant decisione.

## CAP. II.

## DE JURE DEVOLVTIONIS.

## §. I.

Digamia nullo jure prohibita, tamen omnibus gentibus exosa fuit.

**Q**uamvis nullo, neque Divino, neque humano jure prohibita sit digamia: non ideo tamen negandum, omnibus gentibus cultioribus exosam fuisse, imo parum abfuit, quin vituperetur, ita, ut Ethnici, præprimis Romani, mulierem transeuntem ad secundas nuptias pudicitia corona haud dignam judicaverint, atque illegitimæ intemperantiæ signum esse censuerint. VALER. MAX. l. 2. C. 1. §. 3. Testis est hujus rei apophthegma Porcia Catonis filia, quæ cum apud eam mulier, quæ iterum nupserat, laudibus extolleretur, respondebat: *Felix ac pudica matrona non nubit, nisi semel.* ERASM. l. 7. apoph. Odium vero, quo Digamiam prosequuntur, ex gentili quadam superstitione ortum non esse, vel inde patet, quod itidem Christianis secundæ nuptiæ semper indigniores habitæ sint: Hinc Imperator Justinianus felicem & beatam ab ipsis prædicat

dicat abſtinentiam. *Nov. 22. C. 20. §. 1. & pudicitiam ſuam intactam ſervare ait mulierem quæ ſpernit ſecunda vota. L. ult. C. quand. mul. tut. off.* Imo ſecundum Jus Canonicum in iſtis quondam eſſe fornicationem, veritatis ratione inſpecta, ſtatuendum. *C. 9. 31. Q. 1.* Credo tamen ſpurium eſſe illum canonem, quia Chryſoſtomo adſcribitur, qui tamen negat in *Epift. ad Viduam juniorem de non iterando conjugio*, ſecundum matrimonium eſſe fornicationem. *VNGEP. ad titul. X. de ſecundis nupt. n. 2.* Forte ex Tertulliano, qui ejus ſententiæ fuit, iſte canon deſumptus, cujus inſenſi in ſecundas nuptias & modum in vituperandis iis excedentis argumenta egregie diluit *HVB. p. 2. Digreſſ. L. 1. C. 14.* Tali etiam matrimonio benedici prohibuit *VRBANVS III. C. 3. X. de ſec. nupt.* vel quia actus legitimus non reiterandus, quam rationem indicare videtur Pontifex *d. c.* vel quia illas benedictione indignas cenſuit. Iſtis juribus Apoſtulus Paulus calculum adjicit, inquiens: *Mulier lege viri teneatur, quanto tempore vir ejus vivit; Et ſi is obdormiverit, liberum eſt ei, cui velit nubere, tantum in Domino. Beatior tamen erit, ſi ſic permanſerit, 1. Corinth. 7. verſ. pen. & ult.* Et talis digamus non implet excellentiſſimam Evangelicæ vitæ perfectionem uti ex Clemente Alexandrino refert *GROTIUS l. 3. c. 4. 2. in not.* Rationes autem, ob quas tam exoſæ ſunt iſtæ nuptiæ & varia dicta Patrum: vide apud *RITTERSHVS. diff. Jur. Civ. & Can. l. 2. c. 1. 2.* quæ omnia an nitantur veritate, annè potius admodum dura, licèt ex ore ſanctorum profluant Patrum? nescio ſane. Illud ſcio veriſſimum eſſe, quod potiſſima cauſa odii favor liberorum ſit, quia ſemper præſumtio reſultat, quod ab eorum caritate ac diligenti cura illecebris novercarum & vitricorum parentes alienentur. *TVLDEN. tit. de ſec. nupt.*

§. II.

Prærogativam è contra & honorem omnes gentes primo matrimonio indeque ſuſceptis liberis tribuere, res ſatis expedita; nullibi autem tantus eorum favor, quàm in Brabantia vicinisque regionibus, ubi ſtatim, diſſoluto pri-

Gratioſæ è contra ſunt priores nuptiæ & favorabiles maxime in Bra-

bantiâ. Defi- mo matrimonio, liberis ex illo proprietas bonorum super-  
 nitio Juris De- stitis conjugis, usufructu huic retento, acquiritur, idque  
 vol. Jure devolutionis; quod est jus, quo dissoluto primo ma-  
 trimonio liberi superstitis parentis bonorum immobilium  
 proprietatem consequuntur, vel hæc potius ad eos devol-  
 vitur, ita ut ille ea nullo modo alienare, sed integra conserva-  
 re debeat, liberi vero, si supervixerint illi, vel nepotes,  
 exclusis liberis secundi thori, succedere possunt; Parente  
 usufructuario hereditario tantum manente Afficit præ-  
 sens itaque jus bona superstitis conjugis, prædefuncti  
 enim bona jam successione ab intestato consecuti sunt li-  
 beri. STOCKM. tr. de jur. Devol. c. 1.

§. III.

Subjacent bo- Objectum autem istius juris Devolutionis non omnia  
 na immobilia bona sunt, sed tantum immobilia, sive feudalia *Consuet.*  
 juri Devol. & *Brab. art. 22.* sive allodialia, tam patrimonialia, quam acqui-  
 traditur quæ sita, pro diversa cujusque loci consuetudine, mobilia non  
 Jur. Brab. mo- tangit, in quo à sanctione *L. 3. § 5. C. de sec. nupt.* discrepat.  
 bilia vel im- Quæ vero in mobilia vel immobilia reputentur, mihi pau-  
 mobilia sicut. lo pensulatus, non quidem ex Juris Civilis ratione, sed  
 consuetudinarii Brabantiaæ considerandum. Secundum  
 quod non omnia pro immobilibus, quæ natura talia sunt  
 quoad effectus juris, sed ea tantum quæ solenni ritu, *GROT.*  
*de J. B. § P. c. 6. id. in introd. in Jur. Holl. z. c. 5.* vel ut *STOCK-*  
*MANNVS* inquit, inheredatione per operas legis realiter  
 acquisita habentur. Per inheredationem & operas legis  
 nihil aliud intelligunt, quam resignationem, quæ Saxoni-  
 bus audit, judicialem. Non acquiritur enim consuetudi-  
 nario isto jure jus reale, donec res per solennem manci-  
 pationem coram lege loci factam tradatur, nummusque  
 quadragesimus solvatur. *GROT. d. l. HVB. in præl. ad ff. de per*  
*§ commod. rei vend.* quo facta resignatio in acta publica re-  
 digitur, ac facultas libere possidendi sequenti formula con-  
 ceditur: *Consentimus § decernimus N. N. liberam rei vendite*  
*possessionem, atque aliorum manus abdicamus.* Et si dicendum  
 quod res est, inheredatio nihil aliud in allodialibus, quam  
 in

in feudis investitura. Talis consuetudo Edicto ab Imperatore Carolo Quinto *die 21. Maji 1529.* edito roborata & in jus redacta *HVBER. d. l.* Effectus itaque inheredationis in eo consistit ut res vendita pro immobili habeatur, & emtor pro consequenda illa realem actionem, quam ante illam, etiamsi in possessione sit, non habebat, nanciscatur, atque per consequens Juri devolutionis sit obnoxia. Imo si à conjugibus aliquid immobile comparatum erat, non utrique olim acquirebatur, sed tantum illi qui inheredatus vel in actis publicis nominatus, per consequens tantum à parte inheredati obtinebat devolutio, sed contrarium constante usu fori hodie obtinet, ob societatem conjugalem, teste *STOCKM. d. c. n. 2.* Quæ praxis Consuetudinibus Burgundicis consentanea *CHASSAN. ad Consued. Burgund. Rubr. 4. §. 2.* Sic vice versa quædam mobilia natura talia immobilia esse censentur, non solum pretiosiora, v. gr. gemmæ, aurum atque argentum inauratum, sed etiam quædam vilioris conditionis, ut pulvinaria, mensæ, lecticæ & plura alia *Consuetud. Lovan. c. 12. art. 2. §. II. STOCKM. d. l.*

§. IV.

Notanter in definitione dixi, quod parens superstes usufructuarius hereditarius maneat *CHRISTIN. tit. 16. art. 25. KINSCHOT. Respons. 65.* Verum *STOCKM. d. tr. c. 1.* illud epitheton improbat, ideo quia in Consuetudinibus vocaretur *Erf-Tochtener*, quæ particula *Erf* lingua Belgica significet proprietatem; sed sane non video, cur non æque imò melius possit dici usufructuarius hereditarius, quam fundarius, quia proprietas ad liberos devoluta illis vita functis ad patrem revertitur & cum usufructu consolidatur, quod certe assimilatur juri hereditario, cum se fundet in morte alterius, utpote quæ demum facit locum consolidationi. Usufructuarius autem hereditarius vocatur non quasi devolutio sit quædam hereditas, in quo erroneo supposito est *STOCKM. d. l.* quod inde constat, quia parentes superstites sic audiunt non vero liberi, quorum tamen contemplatione devolutio à nonnullis anticipata successio nominatur,

Rectius parentem usufructuarium hereditarium, quam fundarium appellari evincitur contra *Stockm.*

minatur, sed ideo quia proprietas ad parentem liberis defunctis certissime reversura. Nec versio usufructuarii fundiarii seu proprietarii quam probant STOCKM. d. tr. c. 5. n. 7. & autor tractatus *Bouclier d'Etat. & de Justice art. 4. p. m. 159.* ullu modo ferenda, cum quia involvit contradictionem in adjecto, tum quoniam natura istius juris eam plane respuit, sermo enim est de usufructu formali; fundus autem nomen juris est & plenam proprietatem denotat L. 56. §. 7. L. 58. de V. O. L. 16. §. 7. Scitum Trebel. CVJAC. in d. L. 58. ff. d. V. O. quæ tamen neutiquam apud parentem sed potius ad liberos devoluta, ut infra ostendemus. Neque video quid prohibeat istum terminum admittere, cum in *Consuet. Brab. art. 16. 17. & 22.* inveniatur. Miror denique quod ipse STOCKMANNVS isto termino passim utatur cum ipsi tamen tam incongrua dictio videatur.

§. V.

Usufructum formalem esse non causalem probatur contra eundem, atque ejus argum. diluuntur.

Usufructus qui apud parentem superstitem remanet, formalis nullatenus causalis est HVB. ad tit. ff. de Usufr. n. 4. quamvis hoc ultimum velit STOCKM. d. tr. c. 1. §. 6. Quid vero hunc Virum, alias magni nominis & qui in hac præcipue materia cornicum oculos transfigere vult, talem erroneam sententiam, quæ neque menti neque verbis Consuetudinum convenit, arripere moverit, nondum perspectum habeo. Et certe non negandum eum multum studii consumere in colorando & probando suo asserto. Cum etiam in hac quæstione cardo materiæ vertatur, pleniore disquisitione ipsemet eam dignam esse censeo, qua propter operæ pretium erit singula ejus argumenta examinare. Antequam autem hoc faciam, rationes prius in medium proferam, quibus ponderatis, quilibet judicabit istam sententiam minime subsistere. Si enim usufructus causalis vocatur, quem proprietas & dominium causatur, consequens est, hunc usufructum pro tali haud habendum, ideo quia non à proprietate est, sed a lege constituitur conjugii superstiti demto dominio, *Consuet. Brab. sub tit. de success. feud. art. 22.* quem textum, cum solus totam litteram,

tem,

tem, modo haud finistre eum explicent nec contrariam sententiam legi affingere studeant, dirimere valeat, verbote- nus recensere liceat: *Separatione thori liberi inde nati fiunt proprietarii feudorum, quæ superstes habebat, & superstes manet, solummodo eorundem feudorum usufructuarius hereditarius.* Non minorem probationem affert *art. 24. eod. tit.* qui sic se habet; *si tales liberi, aut liberorum liberi decedunt sine legitima soble revertitur talis proprietas ad Patrem, Avum, Proavum ita ut is iterum fiat pleno jure dominus proprietarius.* Deinde usufructu absolute, in relatione præsertim ad proprietatem nominato, formalis utijam §. 14. c. 1. nostræ Dissertationis demonstratum, intelligitur, *JOH. de CASTIL. c. 3. n. 38.* Sed forte quis regeret, quod etiam facit *WAMESIVS consil. 58. centur. 6. civ. n. 1.* hic usumfructum non absolute poni, sed addito epitheto hereditario; sed respondeo, hoc naturam usufructus nequaquam invertere, saltem exprimere hunc potentio- rem esse usufructu, quem extraneus habet, eumque reverti ad parentem, liberis vita functis, ut supra monuimus. His itaque positis, facile nobis erit argumentis occurrere; quorum primum est, quod superstes conjux liberis mortuis plenum in bonis dominium habeat, non quasi de novo, titulo successionis acquisiverit, sed ac si nihil juris ab eo abscefferit. Sed *STOCKMANNVS* dum dicit parentem plenum dominium habere liberis, quod bene notandum, defunctis, fatetur aliquod ei defuisse, quod nihil aliud fuit quam proprietas *dict. art. 24.* si autem ex concessione Autoris proprietas apud liberos fuit, quo pacto potest affirmari, quod usufructus quem parens habet, sit causalis, dato enim hoc pro vero, statuendum, omnem usumfructum esse causalem, quod tamen paradoxon difficilius probabitur, quàm Herculi clava, ut ipsiusmet verbis eum feriam, eripietur. Secundo *c. 6.* ex legibus juris Romani elicere vult, sæpius sub nomine usufructus intelligi proprietatem, nolo tamen ad singulas leges respondere, cum longum admodum foret, sed saltem monere, quod adductæ leges semper supponant

men-

mentem testatoris, quæ fuit legare proprietatem, & sic ratio potius ejus, quam verborum habetur, uti etiam §. 6. Dissertationis meæ dixi. Accedit, quod in testamentis plenius testantium voluntates interpretandæ *L. 12. ff. de R. J.* Procedunt tamen demum jam dicta, si manifestum sit, aliter sensisse testatorem *L. 69. ff. de leg. 3.* Plane aliter res se habet cum interpretatione statutorum, ubi verba in potiori significato sunt accipienda *ROLAND. à VALLE Consil. 44. n. 17. § 19. § Consil. 68. n. 15. Vol. 4.* vel maximè ubi ex mente legis, vel statuti talis sensus haud colligendus; constans enim & perpetua mens Legum est, quod liberi sint proprietarii, parens vero superstes usufructuarius. Equidem non video cur *L. Latores*, vel compilatores Consuetudinum Brabantia reservaverint Parenti superstiti usufructum, si causalis esset, haberet enim tunc eum jam jam vi proprietatis. Pergit cap. 6. liberis denegare proprietatem adscribendo eam potius conjugii superstiti contra *dd. art. 22. 23. § 24.* ac pro stabilienda sua sententia textus Juris Civilis ad quos jam supra respondimus, quam repetere nolumus responsionem, adducit. Insistit porro, quod jus utendi fruendi sit pars dominii *L. 3. ff. de Usufr.* quod etiam de parte proprietatis integrali, non vero prædicamentali concedo, idem judicium de *L. 8. ff. de reb. aut. jud. poss.* quam objicit, ferendum. Refert se denique ad casum *L. 3. § 5. C. de secund. nupt.* quod etiam ibi usufructus competens parenti in lucris nuptialibus causalis sit, quod tamen valdè nego, separatus enim est à proprietate, quæ apud liberos, quod etiam concedit *STOCKM. d. tr. c. 14. n. 3.* uti rectissime statuit *PINELL. part. 2. L. 1. c. de bon. matern. n. 15.* Falsum etiam est, quod *STOCKMANNVS* asserit, parenti hodie adhuc competere disponendi & eligendi ex liberis facultatem, contrarium enim expresse invenitur in *Nov. 2. c. 1. Nov. 22. c. 25.* Et certe vellem scire unde rei vindicationem haberent liberi, quam ipsis concedit *c. 1. n. 4.* si ad eos proprietatis haud sit devoluta, nam quod parens superstes rei vindicatione experiri possit, eam ut  
legi-



legitimus administrator facultatem consequitur. Ne tamen videatur plane contrariam legibus sententiam fovere, & magis agere partes Legislatoris quàm interpretis, limitatione rem componere conatur, quod nimirum pater naturale, liberi vero civile vel fictum dominium habeant, sed nec hæc ferenda. Si enim Pater haberet naturale dominium, destitueretur jure utendifruendi sive exercitio dominii, quod est civilis dominii, exemplo est dominium uxoris & mariti in dote, & si apud liberos fictum esset, non daretur ipsis rei vindicatio *schütz. in Comp. Lauterb. tit. de R. V.* Nec obstat, quòd nudi proprietarii, sive domini in spe à pragmaticis vocentur, istæ enim adjectiones ne minimam dissentendi ansam præbent. Nudi nominantur ad distinctionem pleni proprietarii, & spes, de nanciscendo usufructu mortuo parente, ceu ex definitione patet, itidem intelligenda. Non juvat ultimo, quòd parenti non omnis alienatio prohibita, nec facta ab initio nulla sit, sed rescindatur, nam, ut sicco præteream pede, quod hæc quæ *n. 5. c. 6.* Autor profert valde pugnent cum dictis *n. 4. c. 1.* ubi statuit, quicquid conjux in præjudicium liberorum intendat nullius esse momenti, tantum moneo filiumfam. alienationes & venditionem à patre factas in sacris paternis ad huc constitutum revocare non posse *L. 1. §. 2. C. de Annal. except. BARTOL. in L. 25. ff. solut. matrim. n. 63.* idem obtinet in lucris nuptialibus, si quando durante viduitate uxor aliquid alienavit, eam alienationem post mortem ejus demum revocant *Nov. 2. c. 2.* inde tamen non sequi proprietatem apud parentem esse.

§. VI.

Insurgit adhuc casu quodam in suprema Clientelari Curia ventilato, qui sane parvi ponderis haud est, & ab initio nostræ lententiæ interitum minatur, ideo quia Stockmannus persuasus, nepotem nullatenus obtinere potuisse, si proprietas ad liberos devoluta; ex sequentibus autem patebit, causam victoriæ plane aliam esse. Species facti

Casus, quem objicit secundum nostra principia dicitur.

E

cti

Et sequens: est uxor marito suo superstes, quinque li-  
 beros ex eo susceptos retinuerat, duos filios & tres se-  
 quioris sexus, ad quod omnes proprietates feudorum erat  
 devoluta, ita tamen ut filii excluderent foeminas in succes-  
 sione feudi, evenit postea, quod filia natus maxima more-  
 retur, relinquens ex se filium, deinde ambo filii moriun-  
 tur sine sobole, mater etiam moritur post se relinquens  
 duas filias & nepotem ex seniore. Inde lis oriebatur; fi-  
 liae solae petebant ad successionem bonorum devolutorum  
 admitti, excluso nepote, ideo quia proprietates feudorum  
 dissoluto matrimonio ad filios devoluta esset, quibus post-  
 ea functis ipsae successissent, ad quam successionem so-  
 roris filius haud admittendus, quia Consuetudinibus  
 Brabantiae non esset locus representationi in collateralis  
 linea, fratribus enim succedendum non matri. Hoc ta-  
 men non obstante admissus tuit nepos, non quidem, ut  
 putat STOCKMANNVS *d. l.* quia proprietates ad liberos  
 haud devoluta sit, sed ideo quia Devolutio omnes liberos  
 collective sumtos concernit, sine distinctione sexus & par-  
 tium, nunquam enim censetur filius vel filia, quae mo-  
 ritur ante patrem, portionem suam habuisse, quod nec in  
 dubium vocare valet STOCKM. *c. 14. n. 10.* ac plenissimum su-  
 um effectum sortitur demum superveniente morte paren-  
 tis, ubi successionem pleno jure bona acquirunt, quo tem-  
 pore qualitas heredum consideratur, ipso fatente *d. c. n.*  
*4. §. c. §. n. 2.* atque uti ex definitione, in verbis: *ut in ea*  
*succedere possint.* quam agnoscit etiam STOCKM. *d. tr. c. 1. n. 9.*  
 apparet, ex quibus patet satis abunde hic de successionem ma-  
 tris, non vero fratrum agi, nullo enim modo potest di-  
 ci, quod filii successissent matri adhuc viventi, nec, quod  
 ipsis defunctis ante matrem successissent sorores obliqua  
 successionem, cum jus devolutionis nequaquam sit succes-  
 sio, ceu §. sequenti demonstrabimus; neque turbet or-  
 dinem succedendi, ita ut ex directa successionem monstro-  
 sam indirectam faciat STOCKM. *d. c. 7. n. 5.* sed tantum ipsos  
 certos reddit de futura legitima successionem *d. tr. c. 1. n. 4.*

§. VII.

§. VII.

Æque capitalis atque præcedens articulus hujus materiæ est: an Devolutio sit successio? Plerisque veterum pragmaticorum illam affirmant, ut KINSCHOT. *Resp.* 76. n. 27. & CHRISTIN. in *Consued. Mecklin. tit. 16. art. 25.* Quibus etiam subscribit autor tractatus *traité des Droits de la Reine très Chretienne &c.* Sed rectius cum STOCKMAN. c. 5. & autore tractatus *Bouclier d'Etat & de Justice art. 4. p. m. 154.* teneo contrarium; descriptio enim anticipatæ successionis naturam rei minime exprimit. Nolo jam, quod facile possem, modo angustia pagellarum id permetteret, demonstrare, quod loca, quæ pro stabilienda sua sententia adducunt, plane inapplicabilia sint, potius quasdam differentias devolutionem inter & successionem liceat recensere. Primo enim explorati juris est, quod successio præsupponat mortem, & viventis nulla hereditas; *L. 1. §. 2. ff. de Hered. vel Act. Vend. L. 94. ff. de acq. hereditat.* Devolutio è contra accidit, statim dissoluto matrimonio, & quamvis mors hic præcedat, sermo tamen de adhuc viventis, nequaquam vero de prædefuncti bonis est. Devolutio semper ex die, si super vixerint, dependet quod in successione nullo modo contingere potest *L. 88. ff. de hered. instit. & propter rationem L. 7. ff. de R. J.* In successione attribuuntur liberis statim partes, quod plane aliter in Devolutione, quæ respicit liberos in confuso. STOCKM. c. V. n. 7. Ponitur denuo differentia in eo, quod feudales consuetudines Brabantia *art. 37.* sursum ascendere vetent, quod longe secus in Devolutione ubi liberis vita functis proprietas ad superstitem parentem revertitur *d. Consuetud. sub tit. de success. feudi art. 24.* Accedit denique, quod Consuetudines de Devolutione & successione distinctis agant articulis. Si quis præter enarrata hæc præcipua discrimina alia adhuc devolutionis & successiones desideret, adire potest STOCKMANN. d. c. 5. qui ipsius expectationi satisfaciet. Et sane si hæc argumenta & discrepantias diligenter veteres Pragmatici Brabantia ponderassent, tam

Devolutio-  
nem minime  
successionem  
esse, differen-  
tiis quibus-  
dam inter-  
utrumque pro-  
batur.

crassis & miris hallucinationibus naturam juris Devolutionis haud offendissent, nec semper in incerto mansissent, qua de re maxime hinc inde conqueritur modo citatus  
**STOCKMANNVS.**

§. VIII.

**Radicatum  
 est in jure Civ.**

Recto tramite à natura istius juris ad originem, rationem & æquitatem ejus devenimus. Fundamentum & radices suas omnino in jure Civili agit, plane enim lucris nuptialibus, quæ parentibus ex defunctorum liberorum bonis quocunque lucrativo titulo obvenere, affine est, quorum proprietas etiam ad liberos transit. *L. 3. § 5. Cod. de sec. nupt.* In quibus locis jus Devolutionis in totum ferme delineatum, ut nulla videatur subesse hac de re dubitandi ratio, quàm, quòd istæ leges semper requirant transitum ad secunda vota, cum tamen nostrum jus obtineat statim vinculo conjugali morte rupto, etiamsi in viduitate maneant, ideoque diversum utriusque juris finem esse videtur, illius ut coerceat secundo nubentes, hujus ut prospiciat liberis primi thori. Neutiquam verò, hic enim unus idemque est, favor nimirum primi matrimonii atque exinde susceptorum liberorum, qui quidem primarius; deinde quoque ambo eò tendunt, ut frenent cupiditatem transeundi ad secundas nuptias, quod in jure Civili satis clarum, nec in jure devolutionis negandum, hoc enim superstiti media, quibus alias facilius conditionem iterum nubendi invenire possit, adimit. Obiectio ista exinde etiam refellitur, quod *L. 3. § 5. C. de sec. nupt.* jure Novellarum correctæ, quo cautum, ut statim dissoluto matrimonio liberi proprietatem lucrorum nuptialium consequantur, nec expectandum an secundas nuptias ineant, an verò ab iis abstineant? *Novell. 98. c. 1.* Illud diversum videtur in utroque jure, quod jus Civile tantum illorum bonorum quæ à defuncto superstes conjux vel ab uno ex liberis acquisivit proprietatem ad liberos transire statuatur, nec distinctionem inter mobilia & immobilia faciat; hoc vero Devolutionis ad superstitis conjugis propria bona  
 immo-

immobilia productum fuerit, mobilia vero nullatenus afficiat, sed de iis liberam disponendi facultatem parenti superstiti relinquat, per ea quæ §. 3. hujus capituli late tradidimus.]

§. IX.

Origine nostri juris perspecta, ratio ejus indaganda venit, quam Pragmatici in tacito pacto, cui postea consuetudo robur adjicit, ponunt, neque absurdè. Ea enim intentione & animo matrimonium indeque resultantem societatem conjugalem iniisse censentur, ut bona spectabiliora, qualia vel maximè immobilia sunt, quæ inferunt, vel constante etiam matrimonio acquirunt, communibus referent liberis. Nam commune parentum simul ac naturæ votum, liberis bona tribuit atque eos ad ea admittit L. 7. §. 1. ff. unde lib. ex quo voto tacitus consensus haud implicite eliciendus. Tacitum etiam pactum ex eo firmatur, quòd non tantum conjuges sibi invicem, sed etiam unus alteri devolutionem remittere queat. STOCKM. d. tr. c. 4. n. 4. quod certe neutiquam possent, si ex sola legis dispositione devolutio penderet, per ea quæ de lucris nuptialibus §. 16. c. 1. dissertationis nostræ diximus & probavimus.

Ratio nostri  
juris indaga-  
tur,

§. X.

Jam ad æquitatem; hac autem à multis isti juri denegatur, imo consuetudo à nonnullis ut irrationabilis, & quod multum iniqui secum trahat, effertur, ideo quia consuetudo quæ legitimam & alimenta aufert ut irrationabilis rejicienda. Sed hoc non obstante, rationabilis ea manet, quamvis non negandum eam duram admodum esse. Quod enim objiciunt consuetudinem, quæ liberos privat legitima ut irrationabilem tollendam, nunquam mihi persuaderi poterit. Legitima enim juris civilis positivi est, FRANTZK. ad ff. tit. de inoff. testam. n. 22. ideoque non video quid prohibeat eam contraria Lege in totum tolli vel etiam restringi posse. Quod enim mutationi subjeceat legitima, vel inde colligendum, quod alia secundum

Æquitas ejus  
defenditur.

vetus jus Roman. alia secundum novum fuerit. Nullum dubium, quin ea etiam, modo ipsi alimenta haud insint, ne quidem repugnante natura, tolli possit, HVG. GROT. *de J. B. ac P. lib. 2. c. 7. 7 §. n. 3.* atque quo minus, quod in milite juris est, etiam in aliis Lege quadam induci possit. Nostra profecto ætate tales leges hinc inde extant, quæ legitimam auferunt, & nihilominus tamen observantur, uti de quibusdam Silesiæ statutis ex SCHICKFVS. *in Chron. Siles. l. 3. c. 26. pr.* refert MOLLENBEC *ad Schütz compend. Lauterbach. tit. de inoff. test. n. 66.* Circa alimenta autem res plane aliter se habet, nam si hæc liberis salva haud sunt, iis omnino ex bonis devolutis subveniendum, quia in omni dispositione excludente liberos à successione & facultatibus parentum, excepta causa alimentorum est *arg. l. 7. ff. de bon. damn. STOCKM. d. c. n. 5.* Hæc tamen relaxari vel arctari diversimode possunt, quia assignatio alimentorum non consistit in certa quantitate, sed eorum aestimatio arbitrio judicis committitur FINCKELTH. *obs. 101. n. 2.* MENOCH. *de A. J. Q. lib. 2. cas. 70. n. 24.* Falso deinde de iniquitate queruntur, quod superstiti auferret media quibus alias facilius conditionem iterum nubendi quærere possit, & perpetuam quasi viduitatem ei imponeret. Licet enim non negandum, hoc secundarium hujus juris finem esse, ne minima tamen inde colligenda iniquitas, cum jam susceptis liberis explerint naturale illud desiderium, & communis parentum voti compotes facti, acquiescere potius debent in primo matrimonio quam affectare novum, quod sane eo laudabilius, quo certius, valde exosa secunda vota esse. Quod quædam porro inæqualitas inter liberos per Devolutionem inducatur, tantum abest ut iniquum sit, ut potius æquisimum, ut liberi primi thori propter incommoda & præjudicia quæ secundæ nuptiæ causantur, utpote quæ parentem à cura & caritate liberorum prioris matrimonii alienant, imo etiam propter machinationes, calliditates & dolosas persuasiones vitricorum & novercarum aliquid

emo

emolumentum capiant, quod merito cum incommodis quæ ex secundis votis sentiunt compensatur. Satis in eo mi- te est illud jus, cum non stringat nisi volentem, potest, enim varie illi derogari, pactis, v. gr. antenuptialibus ut infra planius & plenius dicendum erit.

§. XI.

Ducatus Brabantia est cum vicinis quibusdam regio- nibus, ubi jus Devolutionis viget, sed nec in Brabantia, ut vicinas regiones taceam, ejus usus unus idemque est, præcipue ratione objecti haud conveniunt. Quibusdam enim in locis tantum afficit feudalia, quod etiam per to- tum Ducatum propter *Consuetud. feud. sub tit. de success. feud. art. 22. 23. & 24.* obtinet, quibusdam vero in ditioni- bus & locis ad allodialia etiam illud jus porrectum est. Quæ autem ista loca sint, invenies apud *STOCKM. d. tr. c. 2.* qui singulos districtus, qui devolutionem in allodiali- bus vel agnoscunt, vel respuunt, recenset; quæ ibi latæ di- cta nec animus, nec otium est transcribere. Illud ad- dendum autumo, quod etiam modo laudatus *STOCKM. d. l.* monet, nec Germanis illud devolutionis jus plane in- cognitum esse; quibusdam enim in locis moribus obser- vatur, ut mortua matre liberi fiant proprietarii bonorum immobilium, maritus autem superstes tantum usumfru- ctum retineat, quæ bona liberis dicuntur affecta, *MYNS. s. O. 31. n. 1.* harum etiam consuetudinum mentionem fa- cit *TULDEN. ad tit. Cod. de dot. promiss. n. 6.* Quibus consue- tudinibus naturam juris Devolutionis, licet nomine eo- dem haud veniat, delineatam esse, quis non videt? Quæ autem ista loca sint cum & ipse *MYNSINGERVS* ea non so- lum non denominet, sed & abrumpens de istis fileat, quantamcunque etiam impendi operam, explorare haud potui. Vix tamen procedet quod istis moribus paren- tes, uti contendit *STOCKMANN. c. 2. n. 10.* unione proli- um derogare possint; hæc enim pacta non solo paren- tum unientium, sed & liberorum uniendorum consensu, ut cætera requisita taceam, absolvuntur, & vel maxime in

Ufus circa ob- jectum non om- nibus in lo- cis unus idem- que est.

uis

iis ineundis ponderandum num iis paciscentibus consulari; quod tamen hoc casu vix continget, nisi secundi conjugis bona valde superent ea quæ ipsis consuetudinis robore affecta, adeoque si non incrementum, nullum tamen decrementum exinde sit sperandum.

§. XII.

Quod quibusdam casibus Parens superstes inventarium conficere teneatur, remissive tractatur. Quædam remedia quibus consulendum liberis traduntur.

Quod quidem quilibet usufructuarius non solum reperiendum conficere, sed quoque cautionem præstare teneatur, primo jam capite plena manu executi sumus. Quibus vero omnibus oneribus parens superstes exemptus est. Rationes autem ob quas istis gravaminibus obnoxius haud sit longa serie §. 16. c. 1. diff. nostræ tradidimus & examinavimus, quapropter ne actum agamus & ut brevitati studeamus B. L. eo remittimus. Eodem etiam loco casus exceptos, quando nimirum inventarium conficere teneatur, enarravimus, quæ omnia commode hic applicari possunt; ea præcipue limitatio, quod tale conficere debeat, si liberi id exigant, in præsentis nostro jure locum habet. STOCKM. c. 12. n. 3. Sicuti quandoque, si forte dilapidationis & dissipationis periculum immineat, cautio ut ab eo exigatur, æquitatis ratio suadet. Si vero cautio vel nulla, vel haud sufficiens à parente præstari poterit, aliis salubribus remediis liberis succurrendum. Inter quæ non postremum est inhibitio judicis rei sitæ, ne mancipationes & oppignorationes permittat, vel operas legis admittat. Solent etiam quandoque emtores & creditores de periculo devolutionis certiores reddi. Imo nullum dubium, quin, circumstantiis suadentibus, bona immobilia parentibus auferri & liberis sub cautione tantum quotannis, quanti æstimetur usufructus, præstandi addici possint arg. L. 6. §. 1. de sec. nup. In totum enim arbitrio & religioni judicis liberis quocunque modo prospiciendi committitur.

§. XIII.

Alienationes à parentibus factæ nullæ

Quamvis autem jus nostrum parentibus ne bona immobilia alienent, nec in præjudicium liberorum quicquam



quam agant, vetet; non inde tamen alienationes à parentibus fructuariis factæ irritæ atque nullæ sunt, cum quia *erubescit lex, filios genitoribus castigatores statuere, Novell. 22. n. 24.* (cujus Novellæ verba satis confuse allegat *STOCKM. d. tr. c. 14. n. 4.*) tum quia devolutio à conditione, num parentibus supervivant, nec ne, dependet, usque dum alienationes firmæ manent. Morte vero parentis subsequuta, alienationes fiunt irritæ, atque liberis datur potestas res vinculo devolutionis affectas à quocunque possessore vindicandi, argumento eorum, quæ de lucris nuptialibus constituta sunt. *L. 3. C. de sec. nupt. d. Novell.* Merito tamen adhibetur limitatio, quam tradunt DD. eos demum rei vindicatione experiri posse, si à parentum abstineant hereditate; alias pro illa parte, qua heres est, repellitur vindicans *arg. L. 14. C. de R. V. & per regulam, quæ traditur in L. 149. ff. d. R. I.* Quæ sententia frustra à quibusdam, (quorum argumenta, quibus eam infringere allaborant, diluit *STOCKM. c. 14. n. 7. § 8.*) in dubium vocatur propter *claram d. l. 14. decisionem.* Imo etiamsi pater dixerit, res devolutione affectas, ideoque non suas esse, & se eas alienare ut legitimum administratorem, nihilominus tamen dicta limitatio obtinet per ea, quæ de adventitiis tradit *GLOSS. ad d. l. 14. C. & PINELL. ad L. 1. C. de bon. maternis part. 3. n. 79.* Repellitur autem filius heres hodie, post beneficium inventarii introductum, pro quotitate demum repertorio non confecto, hoc enim facto quantitas, non quotitas spectatur *GLOSS. ad L. fin. §. in computatione C. de jur. deliber.* Imo facto etiam inventario non semper pro quantitate repellendum, sed potius attendendum esse, qualis portio, utrum quotitativa, an quantitativa ei magis conducat non absque ratione contendit *PINELL. d. l. n. 40.* Quantitas autem, quæ excedit legitimam, consideratur, hujus enim ratione nullam patitur deminutionem, quoniam eam sine ullo gravamine habere debet. *GLOSS. d. l.* Jam dicta autem procedunt, si liberi se ultro vel verbis, vel gestione pro herede, vel denique immixtione

non sunt, sed à liberis revocantur post mortem parentum nisi heredes illorum existant.

F

bø-

bonorumque apprehensione heredes declaraverint, ratione enim bonorum devolutorum nullam metuunt repulsam, cum quia illa à consuetudine, non à patre, habent, tum quia ex retentione rerum devolutarum pro heredibus haud habentur.

§. XIV.

Bona devoluta non imputantur in legitimam.

In tantum autem liberi bona devoluta præcipua habent, ut nequidem imputentur in legitimam, idque indistincte affirmare auctum cum KINSCHOTIO *Resp. 65.* quæ etiam opinio supremi Concilii Brabantia sententiâ, quam refert modò laudatus KINSCHOTIVS, firmatur. Mihi enim verisimile, quod STOCKMANNVS tradit, ea in legitimam imputari, si post mortem parentis liberi in aliis bonis heredes existant *c. 15. n. ult.* haud videtur; nec quod ex COVARVIA refert, quod ipsorum portio pro parte diminui debeat, & quod hereditatis partem acceptare & reliquam quæ in onere consistit, repudiare, nequeant, huc applicabile est. Jam dicta enim rectè se haberent si bona devoluta hereditatis essent pars, sed cum hoc neutiquam verum, sed potius separatim liberorum constituent patrimonium, perdunt prolata omnino officium suum. Si enim hereditatis essent pars, illa retinere liberi & à cetera hereditate abstinere non possent, quod tamen STOCKM. *d. l.* ambabus largitur. Ex hisce dictis facile quilibet colliget, quid de quæstione an parentis valeat dispositio de bonis devolutis, cum oblatione, ut eam filius patiat, vel sola legitima contentus sit? sentiendum, nimirum patrem talem in præjudicium liberorum vel maximè vergentem minime condere posse dispositionem, utpote quæ insuper in fraudem consuetudinis fieret.

§. XV.

In subsidium demum ad æs alienum à parentibus contractum

Ex eo quod liberi devolutarii pro heredibus haud habeantur, sequitur, quod & æs alienum à parentibus contractum regulariter sustinere non debeant. Ad hoc enim heres mortuarius, qui est superstes conjux, tenetur. Nam solutio debitor

bitorum annexum onus successionis in mobilia est, ita, ut heres mobilium nequidem ad divisionem provocare queat, sed in solidum obligetur. Excussis verò heredis mobiliaris bonis, cujus etiam immobilibus non parcitur, nec dum creditoribus satisfactum, heres bonorum immobilium excutiendus, atque si hujus etiam bona non sufficiant, ad devoluta denique deveniendum ex iisque id, quod restat, supplendum; quia nihil potest dici devolutum, nisi solutis prius debitis, cum bona non intelligantur, nisi deducto ære alieno *l. 39. §. 1. ff. de V. S.* Morem autem ut prius heres mobiliaris, dein immobilis, & denique devolutarii liberi conveniantur & debita persolvi cogantur à modo exequendi, jure Civili Romano *L. 15. §. 12. ff. de re jud. L. fin. §. 4. C. de bon. quæ liberis.* præscripto, desuntum esse, quis ignorat? Probè tamen tempus quo nomina sunt contracta discernendum. Si enim durante matrimonio, vel ante, æs alienum susceptum, omnino ad id sustinendum, in subsidium demum devolutarii tenentur; si vero post dissolutum matrimonium & tempore quo bona jam devolutione affecta, non aliter obstricti sunt, quam si se ultro parentum hereditati immisceant, vel heredes existere quocunque modo declaraverint. *STOCKM. d. tr. c. 13.*

tractum tenentur liberi, tantum autem ad id quod ante vel, constante matrimonio susceptum.

§. XVI.

Restat ut brevibus modos, quibus juri Devolutionis derogatur, recenseamus & examinemus. Eorum autem alii sunt expressi, alii taciti: illos prius videbimus. Derogatur ita primo devolutioni, si mutuo consensu conjuges sibimet ipsis devolutionem remittunt; idque fit vel pactis nuptialibus, vel constante matrimonio, testamento reciproco, vel denique quocunque pacto, quod conjuges inire solent. Alter modus expressus est si unus conjugum alteri devolutionem remittat, quamvis hic eum retro ab ea immunem haud reddat. Ratio utriusque modi in tacito pacto, quo nititur devolutio, ponitur, quare merito obtinet regula *L. 35. ff. de R. J.* Quamvis autem hæcenus dicta pro-

Modi, quibus Devolutioni derogatur, recensetur.

Quorum alii expressi, taciti alii.

pter observantiam fori, de qua unanimiter omnes testantur pragmatici STOCKM. c. 9. n. 3. extra omnem dubitationis aliam posita sint; non ideo tamen negandum, hanc sententiam, non attenta contraria praxi propter præjudicium liberis, quorum favore jus Devolutionis introductum, inde resultans & per ea, quæ §. XVI. c. 1. supra tradidimus, valde periclitari posse. Tacite autem quomodo fiat derogatio, nunc videndum: fit vero si contrarium quicquam devolutionis naturæ, vel in testamento; vel pactis nuptialibus, vel quocunque alio modo ordinatum sit, v. g. si uni ex liberis plus vel minus relictum, quam alias secundum devolutionis regulas habere debeat, vel detur facultas superstiti conjugii, res devolutioni obnoxias alienandi STOCKM. d. c. u. 9. eadem enim vis taciti, quam expressi L. 4. §. 3. ff. de pact. quibus tamen casibus non in totum sed in tantum, quoad illum effectum, cui derogatum, devolutionem suspendi rectissime contendit STOCKM. d. c. n. 10. ubi præter enarratos modos paucos, multis tamen dubiis involutos, quos vel approbat, vel rejicit, invenies.

§. XVII.

Cessat etiam  
ob renuncia-  
tionem filiarum.

Cessat etiam Devolutio ob renunciationem filiarum, etiam si sit minorennis, in gratiam filiorum secundi thori. Et quamvis hæc sententia ideo periculosa quibusdam videri posset, quod renunciationes successionum valde improbatæ; hoc tamen non obstante, nostra opinio stat firma. Ut enim taceam, quod renunciationes moribus Belgicis omninò validæ sint, licet juramento, quod exigit Pontifex, c. 2. de pact. in b. haud firmatæ, id quod GROENWEG. de LL. abrog. ad L. 3. C. de collat. n. 3. & omnes pragmatici, quos magno numero recenset STOCKM. c. 18. uno ore affirmant; saltem moneo, devolutionem nullam esse successionem, atque ab hujus naturâ valdè discrepare; ceu supra satis abunde demonstratum, ideoque argumenta à prohibita successionis renunciatione desumpta hîc commode applicari haud posse. Ponit STOCKMANNVS diversos casus, quibus

quibus renunciatio fit, sed circa secundum aliquid monendum esse, autumo. Statuit enim, quod filia renuncians successioni, simul etiam devolutioni renunciassetur. Sed vix eo inducor, ut hoc credam, cum quia devolutio separatim quid à successione, tum quia renunciations, ut odiosæ, ita strictissimæ interpretationis, quapropter de re ad rem, de casu ad casum haud extendendæ. *MVSCVL. de success. convent. Membr. 2. Class. I. Concl. 6. lit. D. n. 254.* Renunciationem autem demum, dote constituta convalescere putat *STOCKM. c. 19.* Verùm, quamvis *DD.* in renunciatione successionis, ut dos constituatur, secundum *c. 2. de pact. in bto* requiri, existiment: (cujus asserti contrarium meritò tenent *COVARR. ad d. c. 2. p. 3. §. 2. n. 7.* & *FACHIN. L. 3. Controv. c. 24.* quia juramentum, quod in dispendium salutis æternæ haud redundat, omnino servandum; decisio enim *d. c.* non in dote constitutâ, sed religione juramenti fundatur; tum, quoniam diversa sunt successio & dos, quam, licet exclusâ a successione, tamen exigere à patre, vel fratre potest. *L. fin. C. de dot. prom. l. 19. ff. de R. N.*) valdè tamen dubito, an hæc sententia in devolutione, licet eam in successionis renunciatione admittam, obtineat. Renunciatione enim successionis, se omnibus bonis abdicat, adeò, ut ei alimenta haud supersint; quibus tamen, si careat, multis periculis & ignominiis exponitur; huic malo medendo, ad renunciationem, ut dos constituatur, necessariò requirunt, (quibus tamen non adstipulor) quippè quæ filiabus suppeditat alimenta atque eorum loco est. *TIRAQUELL. de jur. primog. q. 62. n. 5. MVSCVL. d. l. concl. 4. lit. B. n. 142.* In devolutionis verò renunciatione tale quid neutiquam verendum, cum certis tantùm, non omnibus renunciet bonis, in quæ, ut succedere possit, nihil est, quod prohibeat. Nullius momenti est, quod objicit, alias talem renunciationem, nullam causam habentem, parere exceptionem doli; satis enim causæ est in fide datâ, voluntate contrahentium atque in negotio subjecto. *HVB. ad tit. ff. de condict. sine caus. n. 6.* **Tales**

les autem renunciaciones à filiabus in gratiam filiorum secundi thori factæ, ut plurimum in conservationem & splendorem familiarum fiunt, bonis enim in agnatione conservatis illustriores familiæ redduntur, inde sequitur, filiis secundi thori morte functis, eas, non obstante renunciacione ad bona devoluta admitti, hæc enim semper habet implicitam conditionem, si res in eodem statu maneat, nec decesserint ii, in quorum favorem renunciatum TIRAQUELL. d. tr. Q. 86. STRUV. Syntagm. J. C. Ex. 38. th. fin. Quin & filii juri Devolutionis valide renunciare queant, non video, quid obstet.

## §. XVIII.

**Conclusio.** Atque hæc sunt quæ impræsentiarum de satis ardua JURIS DEVOLUTIONIS materia proponere mecum animo constitui. Restaret quidem; ut quaestionem, an nimirum ipse Ducatus Brabantia juri Devolutionis subjectus sit? examinem; Verùm cum non solum STOCKMANNVS cap. ult. sed & autor tractatus *Bouclier d'Etat & de Justice art. præcipue. 4.* eam à capite ad calcem usque examinatam fusissime & doctissime decidant, B. L. potius illuc remittere, quàm ibidem dicta hîc repetere volo. Votorum summa meorum est, ut cedant hi mei labores in Summi Numinis gloriam, quippe quæ omnium mearum actionum manebit primarius

F I N I S.

## COROLLARIA.

- I. *Ut parentes liberis alimenta præstent, honestatis potius quam necessitatis est.*
- II. *Qui proscriptum occidit in conscientia tutus & apud Deum excusatus est, pro ministro enim publico habetur.*
- III. *Illud Theodosii: causam difficultatis juris & paucitatis verorum Actorum non humanæ naturæ, quotidie novas formas*

mas

*mas parturientis, inconstantiam, sed scripturientium lasciviam & librorum hinc enascentium copiam, quibus vendendis onerariæ aliquot naves haud sufficerent, verum esse, nostra præprimis ætate experimur.*

IV. *Quamvis avaritia in S. Codice passim vituperetur atque radix & fundamentum omnis mali vocetur; nullus tamen dubito affirmare dari & avaritiam honestam hancque multorum bonorum basin esse.*

V. *Juris circa patriam potestatem autorem Romulum non consuetudinem quandam (ut vult Ulpianus L. 8. ff. de his qui sui vel alien.) vero verius est.*

VI. *Accurate loquendo aquæ & ignis interdictione jus Civitatis non amittitur, sed factò cui interdictum proprio. Verius etiam quod deportatio in ejus locum haud successerit.*

VII. *Non opus habuisset Imp. Justinianus terminos pubertati præfigere, siquidem jam dudum ante ipsum anni XII. & XIV. in jure recepti erant. Elucet ex eo quam rudis Tribonianus in antiquitatibus fuerit, & ambo dum illam inde coram factam corporis indagacionem & inhonestam observationem (quæ nunquam Romanis usitata fuit) abolere student, cum umbra dimicare videntur.*

VIII. *Sitne legitima hereditatis vel bonorum pars, nolim indistincte affirmare.*

IX. *Condictio ob turpem causam æque dativa est ac condictio furtiva.*

X. *Sententia superstitem remanere adhuc animo junctum cum defuncto conjuge explosa est.*

XI. *In feudum, sive proprium sive improprium, mobilia dari posse, atque pecuniam ex feudo redactam feudalem esse, ex jure feudali qui probare conantur, in cælum jaculantur.*

XII.

- XII. In immemoriali præscriptione titulum *§ b. f.* requiri verius.
- XIII. Regalia formata, quæ jam competunt privato, 30. vel 40. annorum præscriptione acquiruntur.
- XIV. An gradualis an linealis successio præferenda, Problema esto.
- XV. Soli Imperatori *§ Vicariis Imperii* jus Academias erigendi competit, nec unquam Ordinibus Imperii hoc reservatum communicatum fuit.
- XVI. Collegium, cui DD. creandi *§ similia jura concessa sunt*, si privilegio isto abutatur, renuntiando forte indignos vel ratione profectuum vel ob maculam infamiae, qua ipsius fama aspersa, posse privilegio suo privari, tantum abest ut negem, ut nequidem si ditio vel civitas talem homuncionem recipere recuset, justam hac dere querendi causam habere statuam.
- XVII. Rex Romanorum non habet potestatem nisi subordinatam.
- XIIX. Cognitio delicti in via publica commissi non ei qui regalia circa vias habet, sed domino territorii, qui merum imperium habet, competit.

